



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search


Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



TEITSBIBLIOTHEEK GENT



900000089456



2. L.

2. 71.

2. 71.

Cl. 1386 $\frac{4}{=}$

112

Double
Litt. B.

CENTVM
FABULÆ

EX ANTIQVIS
SCRIPTORIBVS
DELECTÆ,

Et à GABRIELE FAERNO Cremo-
nensi Carminibus explicatæ,

*Hac Editione variorum Sententiis Sapien-
tum adornata.*



BRUXELLIS.

Apud FRANCISCVM FOPPENS. 1682.





C A R O L O
B O R R O M Æ O ,

S. R. E. PRÆSBYTERO

C A R D. A M P L I S S.

SILVIUS ANTONIANUS

S. D.

Quantam in puerorum
institutione, & disci-
plina cum privatim à
parentibus, tum à Ma-
gistratibus publicè cura & di-
ligentia adhibenda sit, Caro-
le Cardinalis amplissime, vete-
rum Philosophorum libri no-
bis indicio esse possunt, in qui-
bus

E P I S T O L A

bus quàm plurima, quæ ad puerilem educationem pertinent, graviter & copiosè explicata sunt, neque, ut arbitror, injuria. Magna est enim principii vis; multumque adeò omni in re interest, quodnam potissimum exordium sumpserit, nam quemadmodum ex minutissimo semine tantas arbores gigni, & procreari cernimus: item in homine accidit, ut quæ ab ineunte ætate quasi quædam semina virtutum aut vitiorum animo exceperit, ea tamquam fibræ primæ, & radicibus quibusdam inhæreant, deindè sensim adulta ad extremum latissimè diffundantur. Quocirca summa vigilantia opus est; dandaque opera, ut tenera illa ætas, quæ mollissimæ ceræ persimilis, ad artificis

D E D I C A T O R I A .

cis arbitrium facile fingi & commutari potest, liberalibus studiis, bonisque moribus imbuatur, quod si nutrices in puerorum infantium corpore formando, & componendo multum laborare animadvertimus, ne quod membrum distortum sit, néve immoderatus productum, aut contractum : quanto id accuratius in animo, dum adhuc mollis, ut ita dicam, & flexibilis est, fervari debet : cum præsertim illius admirabilis pulchritudo non ad ornatum solum, sed multò magis ad singularem utilitatem nobis à natura donata sit ? Nam & nos ipsos beatos reddit, & quod mirum est, suo decore alios quoque formosos efficit, ac sæpissimè à parentibus in filios derivatur, plerumque etiam

* 3

lon-

E P I S T O L A

longa nepotum serie propa-
ri solet, hinc illud apud gra-
vissimum Poëtam, & optimum
auctorem.

*Fortes creantur fortibus & bonis :
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ Columbam.*

Cæterùm si quis cum eo pæ-
ro, qui ad virtutem informa-
ri debeat, gravissimis præcep-
tis ex intima Philosophia uti
velit ; ne is frustra laborem
suscipiet, multoque aliter ve-
nire, atque ipse existimat, usu
doctus intelliget. Pueri enim
propter ætatis imbecillitatem
ab hujusmodi studiis abhor-
rent, nisi delectatione aliqua,
& jucunditate alliciantur: quo-
circa Medicorum morem imi-
tari

DEDICATORIA

tari oportet, qui poculi os mel-
le inficiunt , ut infantes dul-
cedine capti amaram potio-
nem cupidè absorbeant. Hac
de causa duo illi summi viri , &
Philosophorum facilè Princi-
pes Plato , & Aristoteles , alter
in secundo dialogo de Repu-
blica , alter verò in septimo
Politico , pueros fictis illis fe-
stivisq̃ narrationibus , quas
Fabulas appellamus , instrui de-
bere memoriæ tradiderunt. Ne-
que tamen inconsultè , ac te-
merè , omnes anicularum fa-
bellæ pueris narrandæ sunt: sed
magnus delectus adhibendus,
nimirum ut ea tantum audiant,
quæ illorum animos ad labo-
rem excitent , & gloriæ faci-
bus admotis , ad virtutis stu-
dium incendant. Nam sicut il-
læ umbratiles pugnæ quibus ti-

E P I S T O L A

rones exercentur, veri certaminis simulacra, & imagines sunt: ita puerorum lusiones res graves & serias imitari debent, quòd sanè Apologi optimè præstant. Lupos enim & Vulpeculas, nec non arbores, aut etiam res inanimatas, inter se colloquentes, & tamquam in aliqua Republica variis muneribus fungentes, Senatum convocantes, Magistratus gerentes, de Bello & Pace deliberantes inducere, quid aliud est, quàm hominum mores mirificè effingere? & expressam quotidianæ vitæ imaginem, tamquam in aliqua tabula depictam, nobis ante oculos proponere? Quæ cùm ita se habeant, Cardinale præstantissime, profectò optimè de hominum vita, Gabriel Faernius,

VIR

DEDICATORIA.

vir doctus & innocens, meritus est, is enim ex Æsopo, egregio, & antiquissimo auctore, plurimas Fabulas, nonnullas etiam ex diversis Græcis, & Latinis Scriptoribus excerptas, carminibus elegantissimis explicavit, non ut interpres verba, sed ut Poëta sententias, vim, acumen, leporem illum exprimens. Hac ratione factum, ut quod antea ipsum per se jucundum & suave erat, nunc versibus exornatum longè suavissimum sit. Etenim mira quædam est in carminibus voluptas, & delectatio, mirificeque omnes homines eorum suavitate capiuntur: quandoquidem ipsa natura ad numerum, & harmoniam proclives, ac propensi videmur. Huc accedit quòd puerorum utilitati

* s mul-

E P I S T O L A

multò magis consultum est, neque enim hæc audire, aut perlegere satis est, nisi in memoria penitus infideant, atque in illo rerum omnium thesauro ita recondita sint, ut, cùm opus fuerit, facilè depromi possint, faciliùs autem carmina, quàm solutam orationem, memoria retineri quis ignorat: nam versus numeros, & modos habent quibus tamquam certis limitibus definiuntur. Nec verò, mihi quidem ut videtur, solis pueris hic Faerni labor utilis: quippè & Poëtis, & Oratoribus, cæterisque omnibus, qui in Republica versari volunt, harum rerum cognitio plurimum prodest. Nam ut Poësim omittam, quæ tota apologis, & fabellis condita est, quotusquisque est, qui ignoret, illas Oratori ad
per-

DEDICATORIA.

persuadendum magno esse adjumento : nam sæpè dicendum est apud homines rudes & imperitos , qui quidem ingenii acie non ita acri , & acuta , sed paulò hebetiore sunt. Itaque si rationibus diligenter conquiritis , aliqua de re accuratè argumentari & differere velimus ; auditorum ànimos neque docere satis , neque delectare , & permovere umquam licebit , utendum igitur exemplis , & apologis ; quibus maximè homines duci & delectari solent , quamquam præstant exemplis Apologi , eò quod res gestas præteritorum temporum , nostris similes invenire non semper in promptu est ; fingere autem , ingenioso præsertim & acuto , facillimum. Adde , quod celerius , & nullo ferè labore ,
quæ

E P I S T O L A

quæ ab Oratore dicuntur, audientes percipiunt. Nam Fabulæ, cum à similibus, & paribus, tum etiam à notissimis & singulis dicuntur, at quæ in argumentationibus ad concludendum assumimus, universa sunt & minùs cognita. Sed cum sit mortalium vita curis & molestiis referta; liceatque aliquando nos occupationibus relaxare, & quasi mitigare illam animi tristitiam risu & jocis: quinam obsecro ludus libero homine dignior inveniri potest? quæ suavior requies? quæ utilior oblectatio? nam eodem tempore mentem defatigatam curis, salibus & urbanis facetiis reficimus, ac recreamur, multaque interim ediscimus, quæ in hac civili vita, hominumque communione, multis in rebus mag-

DEDICATORIA.

magno nobis usui esse possunt. Quamobrem omnes boni, ut opinor, viri doctissimi studium, & laborem valdè probabunt, magnasque in primis gratias Pio IV. Pontifici M. Avunculo tuo, & agent, & habebunt: cujus liberalitate ad hæc studia Faernus vehementer incitatus est. Ipse enim cum adhuc Cardinalis esset, qui illius perpetuus est erga probos & litteratos viros, amor, humanitate & benevolentia hominem complexus, in fidem & clientelam suam recepit, sic, ut ei Faernus ob doctrinam, & spectatos mores intimus, & carissimus semper fuerit: itaque cum, illo patrono, suavi & litterato otio frueretur, nequaquam otiosum tempus traduxit, sed ad emendandos clarissimos Latinæ linguæ

E P I S T O L A

guæ auctores, nimia vetustate & librariorum negligentia multis maculis inquinatos, se totum convertit, atque in hoc scribendi genere ingenium suum magna cum laude exercuit: multa quæ præclara inchoavit, quædam etiam absolvit, & perpolivit, quæ dum in lucem edere cogitat, illum nobis non mediocri bonorum, ac studiosorum hominum dolore, mors insperata præripuit. Verùm Pius sanctissimus mortui memoriæ, & hominum utilitati paterna charitate consulens ea typis imprimi, & passim pervulgari imperavit. Interea hoc opus quod jam absolutum erat, in tuo nomine, Borromæ clarissime, jure optimo apparebit, nam & Faernum, dum viveret, præcipuè diligebas & omni
ni

DEDICATORIA.

ni liberali doctrinâ, litterisq̃ue
politioribus mirificè delecta-
ris : quamvis enim maximis,
& gravissimis Christiane Rei-
publicæ occupationibus ita di-
stinearis , ut nullum tempus
ferè tibi à labore vacet : tamen
ingenium tuum , natura præ-
stans atque excellens , industria
alere , optimarumq̃ue artium
studiis excolere nunquam in-
termittis.



C E N S U R A O R D I N A R I I.

Poterunt imprimi. Actum Bru-
xellis 24. Julii 1682.

AD. HERREMANS Plebanus
Brux. Librorum Censor.

*Fabula Puerorum studium at-
que disciplina. Synesius Episco-
pus.*

1

CENTUM FABULÆ DELECTÆ.



Jupiter & Minerva.

L Egere proprias Dii sibi quondam Arbores,
Quam quisque vellet esse tutela in sua:
Quercum supremus Iupiter, Myrtum Venus,
Pinum humidi tridentifer Rector salii,
Apollo Laurum, Populum excelsam Hercules.
Mirata enimverò est Minerva, cur ita
Infructuosas legere voluissent, quibus

A

Tan-

Tantum ad manum esset fructuosarum Arborum.
 Cui Iupiter causam hanc roganti reddidit;
 Ne existimemur fructu honorem vendere.
 Tum Pallas, At vos facite quod vobis lubet.
 Ego, inquit, Oleam fructuum causâ lego.
 Exosculatus filiam tum Iuppiter,
 O nata? dixit, jure sapiens omnibus
 Dicere sacris: jure tu capitis mei
 Propago: nam quod facimus, id nisi utile est,
 Stulta omnis atque inanis inde est gloria.



Omnia ex utilitate, nihil sine ratione. *Glossa ordinaria.*

Honor te quærere debet non ipsum tu. *S. Aug.*

Quorum præmium honor est atque laus, longè præstantiora sunt quàm ea quorum præmium est pecunia. *Arist.*

Numquam discedat utile à decoro. *Periander ad Auson.*



Ollæ duæ , ænea & fictilis.

D Vas trahebat amnis ollas , aneam
 Vnam, alteram autem fictilem.
 Sed athena , proprio prægravata pondere,
 Sibique porro præcaveis ,
 Saaderi cœpit anteeunti fictili ,
 Coniungi uti vellet sibi,
 Quo ravidum aquarum sustinerent impetum
 Iunctis utrimque viribus.
 Cui fictilis , tua mihi , ait, vicinitas -
 Non admodum placet soror :

A 2

Nam

*Nam sive te mihi unda, sive me tibi
 Propè adnatantem illis erit,
 Ut sospitem te dura praeſtabit cutis,
 Fragilem meam ſic conteret.*

**Potentiorum ſemper eſt vicinitas
 vitanda tenuioribus.**

LEBETEM aeneum & ollam fictilem unde
 vis abſtulerat. Tum olla magnopere vitare con-
 curſum aeni, & formidare ac tremere. Cui
 lebes, Quid metuis? inquit non ego tibi no-
 cebo. Reſpondit olla, in tali jactatione ſe non
 poſſe ſecuro eſſe animo, cui non ſuſpecta ipſius
 voluntas erga ſe, ſed fortuitus concursus timo-
 ri eſſet.



Quomodo optimè potentiam tuebor? im-
potentiâ occaſionis. Seneca.



Leo, Asinus & Vulpes.

Initâ societate Asinus, & Leo ac Vulpes,
 Venatum iere, cumq̃ue prada jam multa
 Facta esset, atque hanc tres Asellus in partes
 Dividere jussus, ex bono esset atque aquo
 Partitus, ira Leo superbus exarsit:
 Miserumq̃ue divisorem atrociter sanè
 Doli mali atque iniquitatis accusans,
 Discerptum, hianti concidit vorax alvo.
 Rictu cruento deinde versus ad Vulpem,
 Ut faceret aquas sedulo immuit partes.

6 CENTVM FABVLA

Ea fermè ab una parte cuncta secrevit
Leoni : ab altera id sibi quod à tanta
Pauxillulum detractione restabat.

Tum gestiens Leo, Unde, ait, soror Vulpes
Et dividundo tam erudita communi?
Asini calannitas, exitusque lugubris
Me fecit, inquit illa, jureconsultam.

Aliena sunt pericla cautio nostra,



Quò Potestas sublimior est, eò ad peccan-
dum major audacia, quæ totum sibi licere cre-
dit quod potest. S. Aug.

Quidquid fit timore servili, malè fit. Cicero.

Sub Tyranno nihil tutum est aut quietum.
Greg. Nazian.

Pravus Rex fit Tyrannus. Arist.

Summa potestas sine timore numquam est.
Joan. Chrysost.



Afinus & Lupus.

Calcatus asino clavus in pede ha-
serat :

Quem Lupus acuta fretus acie dentium ,
Medicum professus , atque pactus prae-
mium ,

Extraxit : itaque exigere mercedem in-
stitit.

Obversus Afinus , graviter os improvidi
Lupi , atque mediam calce frontem per-
culit.

*Ibi Lupus, Fure, inquit, hoc mihi accidit:
 Neque enim coquas qui sum, agere Medicum
 debui.*

*Quam quisque novit artem, in hac se ex-
 erceat.*



*Non referre gratiam de beneficio turpe est,
 Cicer.*

*Artium peccata, artificibus pudori sunt
 offenduntque. Senec. Epist. 97.*



Leo mente captus , &
Caprea.

Pervitum atra bile Caprea cū Leonem
cerneret ,

Pervagantem lata campi spatia vesanis pro-
du,

O ferarum triste fatum ! dixit , ac miser-
rimum :

Nam Leo si compos animi , non erat ferri
potis :

Nunc ubi insanire cœpit , quàm erit atrox & impotens ?

Fulmen est , ubi cum potestate habitat iracundia.



Caveatur iracundia , aut si præcaveri non potest , cohibeatur : resiste iræ si potes , cede si non potes. *S. Ambrosius.*


Inter cætera vitia nihil irâ asperius , nihil invenitur amarius. *Idem.*

Ira cùm suprà modum efferbuit , furorem parit. *S. Nibis.*

Hominis est temperare iracundiam non Leonino raptari furore. *S. Ambrosius.*

Muliebre est furere in ira. *Seneca.*

Nil prorsùs sic mentis statum evertit , velut conturbans furor. *Lucr. Jastin.*



Afini duo.

A sinu duo unà fortè faciebant iter,
 Onustus alter spongiis, alter sale.
 Cumque hic vadoso in profluentis transitu
 Sub prgravante lapsus esset sarcina;
 Contacto aqua sale, inque tabem liqui-
 dam

Soluto, ab omni liber onere & gestiens
 Evasis undis. Spongiarum alter ferens,
 Hoc viso, & ipse sarcina sese ut sua
 Levaret, alto sponte procubuit vado:

Sed

*Sed spongiis aquam usque combibentibus
Depressus imo mersus hæsit flumine.*

Non una agendi ratio cunctis congruit,



Munus animi est ratione uti. Cio.

**Multi pereunt propter defectum Providen-
tiae. S. Bonnu.**

**Si prudens esse cupis in futurum prospectum
intende. Seneca.**



Formica & Cicada.

Hiberno exponunt dum frumenta humi-
da soli

*Formica, confecta fame, moribunda Cicada
Auxilium rebus supplex orabat egenis.*

*Hanc Formica anus, & multo usu docta ro-
gavit*

*Quid rerum aestate egisset: cumque illa, so-
noro*

*Se membranarum pulsū, & crepitantibus alis,
Diceret æstivos hominum lenisse labores;*

For-

*Formica excipiens, Si tunc, inquit, cecinisti
Imprudens animi, vacuo nunc corpore salta.*

Ætatis dum ver agitur, tum consule bruma.



Turpissima est iactura quæ per negligentiam fit. Seneca.

Diligentia comparat sibi divitias, negligentia corrumpit omnia. Cicero.

Homines in negligentia constituti infructuosi constituuntur. S. Irineus.

*Status hominis negligentis, est domus ruino-
sa. S. Bernard.*

*Diligentia semper bene redolet & negligentia
malè olet. Petrus Cellensis.*

*Vir in torpore & negligentia dies suos transi-
gens seipsum decipit. S. Ephrem.*

Turdi



Turdi.

EX maximo cùm sortè Turdorum globo ,
 Ad præcoces vindemias qui Gallia
 Togata Etruscis devolarant montibus ,
 Exigua sanè pars revertissent domum ,
 Sed hi sagina crassi , obesi , pragraves ;
 Hos conspicati qui domi remanserant ,
 Livore tacti , se suamq̃ue pessimam
 Cœpere sortem conqueri , quòd cum iis simul
 Ad tam beatas non profecti essent dapes .
 Quibus unus ex iis , qui reversi erant , ait ;

O

16 C E N T V M F A B V L A
O inscientes, atque rerum improvidi,
An non videtis, ex quos ante millibus,
Qui exiveramus spe sagina & crapula,
Ad quam redacti paucitatem nunc sumus?
Fado exitu desideratis ceteris
Captis, necatis, sub corona venditis.
Quod si miserias, si pericla, si metus,
Si cuncta, quæ nos, qui supersumus, mala
Pertulimus, æstimetis, & casus graves:
Ne hæc stulta vobis jam libido fugerit,
Externa conquistum eundi pabula,

Paucos beavit aula, plures perdidit:
Sed & hos quoque ipsos, quos beavit
perdidit.

Sus



Sus & Canis.

Magna invicem contentione exarserant
 Sus & Canis; magnamque voce dissona
 Rixam ciebant, atque acerba jurgia.
 Tandem superbis exacerbatus minis
 Sus, per Venerem, ait, si mihi perrexeris
 Molestus esse, dente te transfodero.
 Tum Canis amaris salibus aspergens Suem,
 Benè, inquit, atque appositè eam iuras Deam,
 Qua te odit adeò, ut, qui ex tua impurissima
 Carne ederit, eum illa arceat Templo suo.

B

Immo

*Immo potes, Sus inquit, hinc dignoscere,
Quàm diligat me Diva, qua hunc, qui laferit
Me, quique carnes dente violavit meas,
Eum ut profanum nolit ad se admittere.*

**Prudens Vir, ea quæ exprobat adversarius,
ipse in suam torquere novit gloriam.**

Mutua sibi convicia Sus & Canis faciebant. Sus per Venerem jurare, se Canem, nisi desinat maledicere, dentibus suis conscissuram esse. Hanc irridens canis, Per Venerem, inquit, venustum est jusjurandum tuum : Nam te valdè delectari Deam apparet, quippe cùm nolit in suum fanum admitti eos, qui gustarint carnes tuas. Cui Sus, jam mitior, respondit : enimverò illa me diligit, cùm occisores meos & infestos mihi prorsus repelli jubet ab se. At tu foetes tam vivus quàm mortuus.



**Ubi contentio, ibi nil lene, nil compositum, nil
ordinatum, sed totum horridum. Gilbertus.**

**Sua culpâ injuriam accipit qui ei se objecit.
Val. Maxim.**

**Solet insanabilis inimicitia eâ contentione
descendere. S. Valerian.**

Sc-



Senex & Mors.

Lignatum egressus numerosi ad culmina
 montis,
 Confecto sub fasce senex sese inde ferebat:
 Cumque labore via, atque iniusto pondere pres-
 sus
 Abjecisset onus, solis deprensus in arvis
 Mortem implorabat, mortem sapè ore ciebat.
 Ecce autem huic dira species se pallida Mortis
 Obrulit, & , Si quid vellet, praesto esse pro-
 fessa est.

Ille metu sudans , atque in contraria versus
Vota , iuvame , inquit , tergo hunc imponere
fascem.

Multi absentem audent mortem contemne-
re , quæ mox
Terret eos , veris repræsentata periclis.



Plerique inter mortis metum , & vitæ tor-
menta miseri fluctuant , & vivere nolunt , & mo-
ri nesciunt. *Seneca.*

Multi vitam odio habent , & tamen mori ti-
ment , quod plerisque in angustia contingere
solet , sicque contrario affectu , & vivendi habent
tædium & moriendi metum. *Isidor. Hisp.*

Nil habet quod speret quem senectus ducit ad
mortem. *Seneca epist. 30.*



Mergus, Rubus, Vespertilio.

Mercatura olim socii, vasa aenea Mergus,
Vestimenta rubus, argentum fœnore sum-
ptum

*Bestia, qua mures inter volucresque locatur,
Contulerant; atque his onerata mercibus alno,
Vela dabant lati minuyente pericula lucro:
Cum subito miseros immanis adorta procella
Vorticibus rapidis navim cum mercibus hausit.
Ipsi udi, atque inopes, vix fluctibus evaserunt.
Ex illo Mergus spumosa ad littora servat,*

B 3

si

*Si qua unda allidens , sua reddat ab æquore
vasa.*

*Obvia vestimenta Rubus per rura vagantum ,
Si sua fortè recognoscat , scabro ungue retentat.
At Vespertilio , longo quæ tempore debet
Argenti summam , spatiis fœnebris auctam ,
Luce appellari metuens , clam nocte vagatur.*

*Spontè revertuntur vitia intermissa; malæque
Invitos aufert nos consuetudinis æstus.*



*Negotiator avidus maria contemnit , dum in
omni labore lucrum cogitat . & lassitudinem si-
mul obliviscitur & timorum. S. Hieronymus.*

*Nihil tam capax fortuitorum quàm mare.
Tacitus.*

*Negotiatio illa honesta est qua pecuniis vel
res, vel pecuniæ rei familiaris augendæ causa ,
permutantur. D. Thom.*



Cornix & Canis.

Cornix Minerva sacrificans, epulis Canem

Convivam adhibuit : ille amice eam monens,

O bona quid opus est tam tibi irata Dea

Te sacra facere! perdis, inquit, victimas :

Abjecit illa te, & peculiaribus

Omnem fidem abrogavit auguriis tuis.

Tu cetera ex hoc confice, & dijudica.

Tum magnum ab alto corde agens suspirium

Cornix : Scio, inquit, quæ refers de odio Dea :

B 4

Ego

Ego tamen neutiquam animum despondeo :
 Quin potius id ago , ut sacrificando & mu-
 nera

Crebro offerendo , mitigem iratam Deam ,
 Offensionemque obsequela leniam.

Qui vincere adversarium ex tuto cupit ,
 beneficiis & gratia certet bona,



Sacrificium gratum & acceptum est Deo ,
 tacitis modestia. Theodorus.



Corvus & Mater.

DESITUATUS Corvus ager mortis in periculo,

Anxius Matrem rogabat, ut salute pro sua
Voto Diis concepta supplex, & preces effunderet.

Nate mi, quid vota pro te, Mater, inquit,
proderunt,

Qui tibi omnes reddisti semper infensos Deos?
Nam quis, obsecro, est eorum, cujus ex altaribus

26 C E N T V M F A B V L A
Exta tu non involaris, sacra non turbaveris?

Impotenter qui nocere cæteris assueverit,
nullus illum sublevatum in rebus ad-
verſis volet.



Ut est initium sanitatis sensus morbi : ita cor-
rectionis initium agnoscere culpam.

*Sic quoque non satis est, quot sint tua vota precesque,
Ni quoque mens pariter sit sine labe tua.*

*O quam falluntur sua qui juvanda Tonanti
Vota putant, cùm sint pectore nata malo.*



Musca.

IN carniū ollam Musca quondam de-
cidit:

Ubi cum cibo potuque distenta ac madens,
Paulatim in alto jure sese cerneret

Pessum ire, mortemque inminere jam
sibi,

Interrito, atque composito animo oppe-
rens,

Ego tantum, ait, bibi, & comedi, & lavi,
ut hunc

Sa-

28 CENTVM FABVLA
Satura exitum ferre haud molestè debeam.

Id, quod necesse est, fer, bonique consule.



Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.
Seneca.

Quod fieri necesse est voluntariæ sacrificio.
Sixtus Philos.

Fer quod necesse est, sicut necesse est. Idem.

Humanæ imbecillitatis efficacissimum duramentum est necessitas. Idem.

Rusti-



Rusticus & Eques.

Venalem tergo Leporem cum ferret ad urbem

Rusticus, inserto vincta inter crura bacillo,
Obvius huic Eques; empturi sub imagine sum-
psit,

Liberavitque manu Leporem; quantique ro-
gavit:

Protinus & vasram referens per rura rapi-
nam,

Admisso discessit equo, cui Rusticus, heust tu,

In-

*Inquit, eum dono Leporem tibi : vescere
gratis,*

Vescere lato animo, & memori donantis amici.

Ridiculè hæc homines, nequeunt quæ vendere, donant.



Turpissimum genus perdendi est, inconsulta donatio, *Seneca.*

Rapax fur est & latro, illo longè deterior, quantò & violentior. *S. Chrysost.*

Equus



Equus & Asinus.

E Quus atque Asellus, servientes uni hero,
 Uterque propria onustus ibat sarcina:
 Sed Asellus adeò iam gravabatur sua,
 Ut cogeretur partis alicujus sibi
 Supplex levamen ab sodali exposcere:
 Quo denegante, pra laboris concidens,
 Miser supremum Asellus egit halitum.
 Tum verò, ut Asini sarcina, & corium in-
 super
 Equo ad priorem sarcinam sunt addita,

Mi-

Miserum ille se vocabat, atque perditum :
 Nam qui levare contubernalem meum
 Parte oneris, inquit, nolui, nunc omnia
 Gesto, atque corium, tertia instar sarcina.

Si tenuiorem juverit potentior, utrique
 melius fuerit, & prolixius.



Perfectè proximum non diligit, qui illi in
 neccssitate non succurrit. *S. Bernardus.*

Generosi animi & magnifici est, juvare & pro-
 desse. *Seneca.*

Qui succurrere perituro potest, si non suc-
 currit, occidit. *Lact. Firmian.*

Inops est qui sine ope amicorum est. *Hugo
 Card.*



Vulpes & Erinaceus.

T Ranarat alti fluminis Vulpes vadum:
 Sed ripa in ipsa, & udo aquarum margine,
 Voraginosæ crura defigens luto,
 Muscarum acuto obnoxia hæsit morsui.
 Quam destituta Vulpis ærumnam dolens,
 Qui fortè eò devenerat Erinaceus,
 Amanter atque sedulò officium suum,
 Si qua in re eam juvare posset, obtulit.
 Atque adeo, quando eripere te istinc non queo,
 Vis, inquit, istas ut abigam muscas tibi,
 C

Qua

*Qua te excedunt? Minimè, ait illa, gentium:
 Nam si hæ recedant, qua repleta ac turgida
 Non admodum nocere jam nobis queunt,
 Alia illicò successerint famelica,
 Qua reliquum omnem sanguinem exsugant mihi.*

*Qui res novari, & regna mutari expetunt.
 Quid aliud hi,quàm majus accersunt malum?*



*Quid prodest mare trajicere, & urbes muta-
 re, si vis ista quibus urgeris, non alibi sis oportet
 sed alius. Seneca epist. 104,*

Rerum subitæ mutationes solent afferre molestias. Joan. Saresb.

*Dolor decrescit ubi quo crescat non habet.
 Mimus Publ.*

Grave est in pejus mutari, &c, S. Ambros.



Leo & Vulpes.

HOrrenda primum cùm Leonis effert
 Aspexit ora, præ metu Vulpes ferè
 Animam reliquit : viso eo rursum obvio
 Timuit quidem illa, sed minus multò tamen :
 Denique datum in conspectum eum jam tertio,
 Contempsit adeò, ut non adire sit modò,
 Sed alloqui quoque ausa familiariter.

Quæ terribilia sunt ab insolentia,
 Et reddit assuetudo blanda & mollia.



Omnia consuetudine viam suam perdunt.
Senec. quasi. natural.

Consuetudo rebus affert constantiam. *Idem*
de tranquill.

Sæpè contemptus venerationem venatur.
S. Cyprianus.

Non familiaritate nimia vilescat auctoritas,
quia solet nimia familiaritas contemptum parere.

Vulgare Proverbium est quod nimia familiaritas parit contemptum. *S. Bernardus.*

Familiaritas quæ causatur ex multa & privata locutione in omni re præbet audaciam. *S. Antoninus.*

Plura sunt, quæ nos terrent quàm quæ premunt : & sæpiùs opinione, quàm re laboramus. *Seneca.*

Ubi timor decesserit audacia obrepit. *S. Ambrosius.*

Vul-



Vulpes & Uva.

Vulpes esuriens , alta de vite racem-
mos

Pendentes nulla cūm prensare arte valeret ,
Nec pedibus tantum , aut agili se tollere
saltu ,

Re infecta abscedens , hac secum , Age de-
fine , dixit ,

Immatura Uva est , gustuque insuavis
acerbo.

Consuevere homines , eventu si qua sinistro,
Vota cadunt , iis sese alienos velle videri.



Sæpè animus etiam aperta dissimulat. *Seneca*
epist. 94.

Prudentis hominis est (etiam si doleat) dissimulare. *S. Hieron.*

Nulla est sine difficultate ingenii subtilitas.
Seneca epist. 58.

Dolus est occulta malitia blandis sermonibus adornata , cùm aliud sonat in ore , & aliud latet in corde. *S. Anselmus.*



Corvus & Vulpes.

Insedit alta Corvus olim Quercui,
 Rostro rapaci casei frustum tenens;
 Quem vasta blando aggressa sic Vulpes dolo est:
 Quàm pulchram avem, quàm splendide cultam
 intuetur

Pennis decoris, atque versicoloribus:
 Salve, inquit, ô generosa: quòd si praeclata
 Cantu fuisses, summi eras ales Jovis.
 His ille magna inductus in spem gloria,
 Cantu indecoro rauca solvit guttura:

C 4

Tum

Tum versipellis decidente caseo

*Vulpes posita, Corve tu, inquit, omnia
Habes abundè, mente dumtaxat cares.*

**Qui coram in os te laudat, infidias struit :
Qui laude ficta ducitur, cor non habet.**

Sustulerat Corvus aliunde caseum, & cum illo in altam arborem subvolarat. Vulpecula, quæ caseum concupiisset, ita illum adorta callidè fertur, cum primum formam & nitorem pennarum, & laudes augurii collaudasset : Planè, inquit, te summi Jovis volucrem esse dicam, si audiero etiam vocem & cantum dignum reliquis virtutibus tuis. Corvus laudibus Vulpis inflatus, clamorem edere quàm maximum posset. Ita de aperta rostro delapso caseo posita Vulpes, irridens illum : Nihil, inquit, tibi deest Corve præter cor,



**Nocent vanæ laudes, & fallunt animos, sicut
auceps fistulâ dulciter canens decipit aves. Thom.
à Kempis.**

**Omnis qui habet prurientes aures, qui omni
verbo credit, qui adulationi libenter aurem bi-
bulam apponit, non homo sed brutum animal
dignus est appellari. S. Ant. de Padua.**

Amici adulantes pervertunt. S. August.

**Sæpè adulantium resistimus verbis ad faciem,
& in secreto mentis favemus. S. Hieronymus.**

Dies



Dies Festus & Profestus.

Festum in Diem Profestus insurrexerat,
 Odiosa magno probra clamore ingerens:
 Qui te, inquit, ignave esse tandem exi-
 stimas,

Qui tam otiosè, delicatam, ac splendidam,
 Sine opere, sine labore, vitam ducites,
 Sudore parva prodigens meo bona?

Olli renidens leviter Festus Dies,
 Et meritò alii, ait, sortis auctorem tua:
 Etenim quid esses stulte sine me? nam, nisi

C 5

Ego

Ego Festus essem, tu Profestus non fores.

Ordo optimatum, plebis haud dubiè est salus.

Cum feriis altercatam postridianam diem, quæ Græcis est *ύστερα*, accepimus, quòd diceret illas plenas esse negotii, & cujusdam molestiæ operandorum sacrorum, epulis autem ad ferias instructis postridie demum homines placidè & jucundè frui solere. Tum respondisse ferias aiunt: Ita quidem esse, ut illa narraret, sed quæsiuissè, ubinam feriis sublati postridiana futura sit?



Legum conditores Festos instituerunt Dies, ut ad hilaritatem homines cogerentur, tanquam necessarium laboribus interponentes temperamentum. *Seneca de tranquillitate animi.*

Ordo qui unicuique rei inest, bonum affert omnibus rebus. *Plato.*

Si certus est ordo rerum, certus est ordo causarum. *S. Aug.*

Pavo



Pavo & Monedula.

R Egi creando cū comitia Avium fo-
rent,
Blando petebat Pavo prensans ambitu,
Suas opes, suamque pulchritudinem
Factans, & admirandum honorem corporis:
Et jam propè una mente centuria alitum
In gratiam Pavonis inclinaverant:
Suffragia inhibens cū monedula, Heus tu,
ait,
Formose, si, te rege, nos Aquila impetat,
Quo

Quo pacto opem ferre, aut tueri nos putes?

*In deligendo rege, multo impendius animi
bona spectanda sunt, quàm corporis.*

Cùm haberent comitia veloces regi creando,
petiit regnum Pavo, quòd se ob formam exi-
miam illo dignum præ cunctis esse diceret. Qui
cùm omnium suffragia laturus videretur : Hic
tamen rex, inquit *Menedula*, si fortè sit factus,
& Aquilam hostem habuerimus, quidnam opis
auxilium poterit afferre?



Ut bene eligamus quales res sint bonæ, quæ-
nam malæ, arte & industriâ opus est. *Aristot.*

In omni electione melior debet præponi &
eligi: qui aliter facit peccat. *S. Aug.*

Ubi merita considerantur, electio est, non
fors. *S. Aug.*

Dignus planè debet esse, qui sequentibus pro-
ponitur omnibus. *S. Ambros.*

Cervus



Cervus & Hinnulus.

C Ervo Hinnulus olim filius dixit patri:
 Et major es tu Canibus , & velocior ,
 Et ardua alacri fronte gestas cornua :
 Cur ergo , quæso , tam times eos pater ?
 Cui Cervus : Hæc , quæ de me , ait , fili refers ,
 Sunt vera fateor ; multa nobis contulit
 Natura , multis provida instruxit bonis :
 Sed ego latratum Canis ubi primum audio :
 Tum , vi abdita quadam , in pavorem , & in
 fugam

Agor,

Agor, inque pedibus omne præsidium est mihi.

Timidi & fugacis ingenii qui sunt, eos nulla arma, nulla texerint sat mœnia.

Hinnulum cum Cervo sic locutum aliquando ferunt : Mi pater, cum multò sis major Canibus, & pedum his celeritate præstes, præterea cum tibi sint ardua cornua, quibus à te vim propulsare faciliè possis, qui fit, ut Canes tantopere metuas? Ibi Cervus ridens : Mi nate, vera, inquit, memoras : mihi tamen, nescio quo pacto, semper accidit, ut auditâ Canum voce, in fugam statim convertar.



Qui sibi malè conscius est semper pusillanimis ac timidus est. *S. Joan. Chrysost.*

Pusillanimitas est vitium animæ, per quod neutram possunt formam ferre, nec honorem nec ignominiam. *Aristot.*

— Fugit illicet ocyor Euro,
Speculamque petit, pedibus timor addidit alas.
Æneid. Virg.

Corvus



Corvus & Serpens.

Serpentem aprico conspicatus in loco
 Somno gravatum Corvus , escam qua-
 ritans

Allapsus , uncis occuparat unguibus :
 Cumque ille vertens se , inque gyrum col-
 ligens

Hunc dente perculisset irritabili ;
 Moribundus & flens Corvus , En cuiusmodi
 Reperi lucrum , inquit , quo miser me per-
 didi.

Infausta multis sunt sua ipsorum lucra.



Nihil est facilius quàm seipsum fallere. *S. Basil.*

Nullum est animal tam pusillum, neque tam invalidum quod laceffitum non cupiat ulcisci sese. *Poliantha.*

Si quis aliis infidias moliatur, imprudens sibi ipsi primo & soli infidias struit. *Greg. Taumat.*

Prædæ cupiditates multos longiùs enecat *Cæsar.*

Omnis cædes & vulnera aviditate prædæ pensatur. *Tacit.*

CORVUS.

Me miseram, quæ sola talis calamitas experior quas præ immanitate nemo facile crediderit.

Mala malis eveniunt.

Cygnus



Cygnus & Anser.

Duas opima cors alebat alites,
 Cygnum, Anseremq; candidum,
 Ut ille dulce ferret auribus melos,
 At hic obesa viscera
 Gula exhiberet, ergo ut hunc hero in cibum
 Parare jussus est Coquus.
 Loco Anseris Cygnum inscius prahenderat,
 Colore falsus alitum.
 At ille funus, ut solent Cygni, in suum
 Suave Carmen ordiens,

D

Ita

50 C E N T V M F A B V L A
*Ita agnitus, graviq̃ue mortis impia
Solutus est periculo.*

Pericla sæpè, sæpè proximam necem repellit eloquentia.



Magna & varia res est eloquentia. *Seneca.*

Eloquentia sine virtutibus moribusq̃ue honestis, panis profectò sine sale esse videtur. *Ex vitis Patrum.*

Effectus eloquentiæ est audientium approbatio. *Cicero.*

Periculum qui pavet, cavet : qui negligit, incidit.

Prævidere jacturam periculi, sapientis hominis est. *S. Bonavent.*

Proximus periculo diu tutus non erit. *S. Bonaventura.*

Sic vivamus, sic loquamur, ut paratos nos inveniat, atque impigros fatum. *Seneca.*

Quidam omnia fortuita & casualia quæ in his inferioribus accidunt, sive in rebus naturalibus, sive in rebus humanis, reducere voluerunt ad fatum. *S. Thom. Aquin.*

Pucc



Puer & Scôripius.

C Aptabat agiles fortè Locustas puer,
Modò hanc, modò illam saltitantem per-
sequens.

Quas inter atro Scôripius viro tumens
Errabat. Hunc Locustam opinatus Puer,
Dextram admoveere coëpit. Ille subrigens
Caudam minacem, seque ad dictum compa-
rans,
Manum abstine, inquit, insciens: aliter
malo

Cogere veras quoque Locustas mittere.

Tunc civitates ruere consueverunt, ubi nequeunt probos ab improbis discernere.



Ridiculum est odio nocentis innocentiam perdere. *Idem.*

Innocens is dicitur, non qui leviter nocet, sed qui nihil nocet. *Idem.*

Quo major est populus cui commiscemur, hoc periculi plus est. *Seneca.*

Non cessat hostis persequi, & si non aperte sævit, infidiis agit. *S. August.*


Improbum ut portum periculosum fugito. *Teognis.*

Improbis animus ad extremum detegitur. *Idem.*

Malus ubi bonum se simulat, tunc est pessimus. *Publius.*

Improbi fuge congressum. *Menander.*

Uxor



Uxor submersa , & Vir.

Vir mersa Uxoris rapido torrente ca-
 daver
 Adversâ quarebat aquâ : quem turba monere
 Institit accurrens , ut quareret anne secundo,
 Nequaquam , ille inquit : mea enim dum vi-
 veret Uxor ,
 Tam morosa fuit , tam aliorum semper ab-
 horrens
 Moribus ac factis , ut nunc quoque mortua
 labi

Debeat haud aliter, quàm aduersa fluminis unda.

Morosa & discors vel mortua litigat uxor.



Mores dispares disparia studia sequuntur. *Cicero.*

Ex discordia animorum etiam discordia verborum procedit. *S. Chrysost.*

Maxima causa Discordiarum, diversitas voluntatum. *Salvianus.*

Morbus discordiæ præcipuè fæminarum est. *S. Chrysost.*

Quando per discordiam homines dissident, quasi membra à corpore cadunt. *S. Gregorius.*

Culpas discutere, retractare causas, recordari injurias, solent hæc magis instigare quam mitigare discordias. *S. Bernardus.*

Inexpiabilis & gravis culpa discordiæ nec passione purgatur. *S. Cyprianus.*

Per linguæ incontinentiam discordiæ origo propinatur. *S. Gregor.*

Dissentientibus voluntatum motibus, dissentiens fit sensus animorum, *S. Hilarius.*

Ut sunt mores tui, talis & vita tua. *Sixtus Phil.*

An-



Anguilla & Serpens.

V Nanimem quondam serpentem anguilla
rogavit,

Cur Anguillarum generi omnia plena periclis,
Plena dolis hominum atque inimicis fraudibus
essent:

At tu, inquit, mihi cūm similiis, cūm penè gemellus
Catera sis, nullis obnoxius insidiis es;
Securosq; dies pacati transfigis avi.

Cui Serpens, Nimirum, inquit, quia qui mea
turbat

*Otia, & infestam mihi vim temerarius affert,
Non impune refert, nec inulta injuria restat.*




Nullus affectus vindicandi cupidior est quàm ira, & ob idipsum ad vindicandum inhabilis, prærapida & amens. *Seneca.*

Ultio fructus est iræ. *Tertul.*

Nullus est qui facit alteri injuriam nisi qui fieri nolit sibi. *S. Anselm.*

Non esse tentandos, qui possunt nocere admonet *Martialis.*

*Rabido nec perditus ore,
Fumantem nasum vivi tentaveris Ursi.*



Canis & Lupus.

C Anem ante stabuli dormientem januam
 Lupus irruens cū devoraturus foret,
 Ille ejulans vocesq̃ue flebiles ciens,
 Ne se comesset, deprecabatur Lupum:
 Aut certè ait, (nam & tenuis alioqui, ut vides,
 Macerq̃ sum) da mihi, obsecro, brevem mo-
 ram:

Domi enim mea cras sunt futura nuptia,
 Vbi, ad affluentes pinguis effectus dapes,
 Opimior tibi esca ero, ac jucundior.

D 5

Per-

*Persuasus his , dimisit incolumen Canem
Lupus. Revertens inde post aliquot dies ,
Eum cubantem parte in excelsa domus ,
Cum infernè clamans excitavisset , data
Fidei admonebat , atque pacti fœderis.
Ibi tum ille ridens subdolè , Si me , ô Lupe ,
Vnquam ante stabulum dormientem inveneris ,
Ne nuptias dehinc , inquit , expectaveris.*

**Quæ quis pericla est passus, hoc lucri hinc habet
In posterum vitare ut illa noverit.**



Fraudes & doli imbecillum decent. Seneca.

**Fraus dicitur quasi fracta fides, & dolus est oc-
cultæ malitia blandis sermonibus adornata , &c.
S. Anselm.**

Fallacia alia aliam tradit. Terent.



Canis, Gallus & Vulpes.

Canis, atque Gallus longum iter quondam
simul

Ingressi, opaco jam appetente vespere,
Nacti arborem, ubi quiescerent, Gallus qui-
dem

Fastigia alta frondeæ ascendit domus;
Canis excavatum in caudicem se condidit.
Cum verò, ut adventante consuevit die
Cantum edidisset Gallus, accurrens eò
Vulpes, eum rogabat enixissimè

Des-

Descenderet, suiq; faceret copiam :

Gestire se, animal tam canorum & musicam

Amplecti, & osculari, & os agnoscere :

Tum fraude Gallus cognita; Cupio tibi,

Quacumque possum, commodare & obsequi,

Et esse tecum : sed tu, ait, quaeso hunc prius,

Qui dormit infra, janitorem suscita,

Fores mihi ut recludat, undè ad te exeam.

Vocante Vulpe janitorem, prodiit

Canis; agnitamq; adortus adversariam,

Nil tale veritam, dente laniavit truci.

Qui fraude agit, jure ipse fraude fallitur.



Fallite fallentes : ex magna parte profanum

Sunt genus : in laqueos quos posuère cadant.

Ovid.



Mulus.

L Ascivientem plurimo ordeo Mulum
 Quondam hac superba cogitatio in-
 cessit.

Ego pulcher, inquit, ego celerrimus cursor,
 Patrem habui Equum, qui aurata frena man-
 debat.

Hac ille: sed mox, incidente currendi
 Neceſſitudine, impeditus atque harena,
 Ad prima campi spatia reſtitit laſſus;
 Aſiniq; patris eſt ſtatim recordatus.

Se.

Secunda nos fortuna nescios nostri facit,
sinistra nosmet indicat nobis.



Superbi cùm stulti sint , tum seipfos quoque
ignorant. *Aristot.*

Proprium superborum est supercilia erigere, &
buccas inflare, & omnes despiciere. *S. Theodoret.*

Erecta cervix , facies torva , truces oculi , &
sermo terribilis : nudam superbiam clamant.
S. Prosp.

Omnis superbus ignarus est , etiamsi magnus
inter mortales , & inclytus videatur. *Joan. Trith.*

Difficile est ut elatio quæ regnat in corde, non
erumpat in voce. *S. Greg.*

Superbia est arrogantiae vanæque gloriæ per-
mixtio. *S. Maximus.*

Sicut fumus magis ascendendo deficit , sic su-
perbus plus exaltatus plus evanescit. *S. Bonavent.*

Afi-



Asinus , Simius & Talpa.

A *Simium querentem quòd careret cornibus,*

*Et Simium quod cauda honore, hoc arguit
Sermone Talpa : Qui potestis, hanc meam
Miseram intuentes cecitatem, hac conqueri?*

Aliena si æstimaris infortunia, tunc æquiore mente perferes tua.

Nihil



Nihil tam miserum est , quàm quod in natura consuetudo perduxit. *Seneca.*

Ubi major putatur esse felicitas , ibi miseria copiosa exuberat. *Joan. Trish.*

Nemo est mortalium , qui non laboret miseriis , five sit inops , five sit opulentus , five servus , omnes æquè laborant. *S. Athan.*

*Homo infelix semper naturâ credulus est ,
Proximum enim semper plus se sapere putat.*
Menander.



Juvenes duo & Coquus.

DVo olim Juvenes Coquo assidebant :
 Quorum cum rapuisset alter offam
 Carnis, obtulit alteri occulendam :

Sed Coquo hanc repetente ab iis, uti qui
 Soli tempore furti ibi affuissent :

Is, qui habebat eam, involasse sese,

Qui involarat, habere se negabat,

Sanctè per Jovem uterque dejerantes.

Queis amaro animo Coquis renidens,

Vestro me quidem, ait, potestis aptè

E

Circum-

Circumscribere jure pejerato :

*Deum, cuncta scientem, & intuentem,
Circumscribere fraude non potestis.*

Cùm fortè propter Cocum Adolescentes duo
versuti atque furaces assedissent, occupato Obco
rebus suis, unus horum rapuit fructum carnis,
& alteri tradidit, qui demisit in finem. Cocus
postquam ad carnes respexit, & abesse aliquid
sensit. Qui sciret effuisse præter duos istos me-
minem, repetere ab illis amissum fructum cor-
pit : At is, qui de altero acceperat, dejerare se
non abstulisse : qui verò ipse sustulerat, penes
se non esse. Cocus intelligere improbos esse &
veteratores : Et mihi quidem, inquit, quid fa-
ctum sit ignoro, verba dare potestis. Deum au-
tem profectò non fallitis.



Nulli minùs creditur quàm ei qui frequenter
) urat. *Theophilactus.*

Deus illum odio prosequitur qui sacrosancta
divini Numinis autoritate neglectâ falsum ju-
ramentum dicit. *Plato.*



Cochleæ.

Impositas prunis Cochleas intentus & ha-
rens

Filius agricola circumfuso igne coquebat.

Ille humore graves, & succo obstante ca-
lori,

Edebant raucum tenui stridore sonorem.

Tum puer irridens, O stulta animantia,
dixit;

Nunc canitis, vestra cum flagent ignibus
ades?

**Damnantur quæcumquæ alieno tempore
fiunt.**



Stultitiæ proprium est , pravè de rebus judicare , pravèque consulere , pravè præsentibus cum rebus congredi, conflictarique, pravè de iis rebus quæ in vita bona malaque versantur, sentire.
Aristoteles.

Origo totius mali ab ignorantia descendit , & ipsa est malorum omnium mater, ex qua incerta & ignavia gignitur. *S. Clemens.*

Plus à pecoribus distat , qui ejus aliquid nescire se scit , quàm qui se putat scire quod nescit.
Idem.

Nemo bene judicat quod ignorat. *S. Greg.*

Ignorantia negligentiae filia est. *S. Chrysost.*

Nihil gravius est , quàm si id quod ignorat quis , scire se credat. *S. Clemens.*



Cornix & Hirundo.

DE pulchritudine atque honore corporis

Hirundine & Cornice contenditibus,
Post multa utrimque dicta, ita adversarium

Cornix retudit; Quanti, ait, tandem tua est

Facienda pulchritudo, qua prima modo
Æstate flores, præ mea, qua hieme quoque?

Diuturna fluxis præferenda sunt bona.



In pulchritudine gloriari vanissimum est & vitiosum. Th. à Kempis.

Amor formæ, rationis oblivio est & insaniz proximus. S. Hieronymus.

Forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captivat, vincuntur specie qui non vincuntur prælio. Origin.

Meritò se privat honore, qui honorem affectat sine onere. Petrus Blesensis.

Humilitas opus celeberrimum, quasi potio superbiam excludit. Petrus Blesensis.

Minores ut fiant æquales, seditionem faciunt, æquales verò ut fiant majores. Arist.

Mer-



Mercurius & Statuarius.

Visurus olim , quanti apud homines foret
 Mercurius , oraversus in mortalia ,
 Sese in tabernam contulit Statuarii.
 Inspecta ubi Tonantis effigie Jovis ,
 Quanti , rogavit : utque drachma , comperit ,
 Clam vilitatem patris irrisit sui.
 Inspecta item Iunonis , aliquanto amplius
 Pretium ejus esse , quam prioris , audit ,
 Postremo contemplatus & statuam suam ,
 Existimansq; se esse longè maximi ,

72. CENTVM FABVLÆ

Quòd lucra præstet, quòd sit interpres Deum,
Præmium indicare petiit & sui sibi.
Statuarius tum dixit: Hasce si emeris,
Et hanc tibi hospes additamentum dabo.

Plerumque nihil est, qui ipse se magni
æstimat.



In quantum homo dignitate præditus humi-
liatur, attollitur. S. Valerianus.

Etsi aliquid es, nisi tantò te humilies, quantò
magnus es, perdes omninò quod es. Idem.

Quantò eris humillior, tantò sequetur te al-
titude. Isid. Hispal.



Pater & Filii.

M Oriens Pater lecto assidentes Filios
 Admonuit, auri maximam se in vinea
 Vim condidisse, proinde post obitum suum
 Id excavato penitus eruerent solo.
 Hac ille : sed mox liberis rogantibus
 Uti ederet, quâ parte tandem vineæ
 Aurum lateret, nil locutus amplius,
 Desiderati liquit incertos loci.
 Illi, peracto protinus busto Patris,
 Versare durus vineam ligonibus,

E 5

Et

Et hic & illic scrobibus effossis humum

Cerpere glebas in minutas frangere :

Frustra : nihil enim fuerat auri conditum :

Illo subacta sæp labore vinea ,

Uberrimâ ditavit hos vindemiâ.

Tum princeps barum : Hic ille nimirum , refert ,

Thesaurus est , quem sedulus nobis Pater

Moriens reliquit , noster ô fratres labor.

Sua cuique vitæ industria instar est opum.



Conserua potius qua sunt jam parta Labore :

Cùm labor in damno est crescit mortalis egestas.

Cato Poëta.

Dum labor te terreat respice mercedem. Cicero.

Ex laboribus fructus est , non ex fructibus labor, hoc ministerium corporis est, fructus verò merces laboris. S. Dono Episc.



Simius & Delphus.

Mos navigantium est, prisco ab usque tem-
pore,

*Ut navigationis in solatium
Secum Catellos, Simiósve deferant.*

*Quidam igitur oram fortè præter Atticam
Cum Morione navigabat Simio.*

*Ecce autem atroci concitata turbine
Maris procella, Sunium circa, Attica
Insigne promontorium, evertit ratem:
Ibi inter alios naufragos & Simio*

Na-

Natante quidam Delphus accurrens , cum
 Hominem ratus manu ex propinquo præbita
 Undis levatum , an civis esset Atticus ,
 Rogavit. Ille se esse verò , & nobili
 Sanè , atque claro genere dixit editum.
 Cùm deinde & in Piræum unà issent simul ,
 Notissimum navale Atheniensium ,
 Ibi sciscitatus Delphus est ab Simio ,
 Nossétne Piræum ? arbitratus Simius
 Eum rogare de homine claro quopiam ,
 Et nosse dixit , & sodalem esse hunc suum.
 Quam ob vanitatem Delphus irâ percitus ,
 Tum denique illam bestiam agnoscens , truci
 Salo hauriendum fluctibusq; reddidit.

Qui mentiuntur impudenter , hi suis
 Refellere ipsi se solent mendaciis.




Qui nulla in re verecundatur appellatur impudens. *Arist.*

Impudentes nudo quasi capite , ac perfrictâ fronte mendacia sua proferunt. *S. Joan. Chrisost.*

Humanus animus postquam verecundiæ fines semel transire coactus est in insolentiam dilabitur. *Idem.*

Ra-



Ranæ duæ sitientes.

IN siccitate & summa aqua penuria ;
 Rana vagabantur due ,
 Sicubi profundis invenirent vallibus
 Aliquid liquoris abditi.
 Tandem , reperto puteo aqua pleno , altera
 Suadere descensum institit.
 Prudentior sed altera & consultior ,
 Si nos ed demittimus ,
 Et ibi quoque , inquit , unda nos defecerit ;
 Quonam modo indè exhibimus ?

Ne-

**Negotiorum jubeo spectari exitum
Iis , qui inchoare quid volunt.**

Incolebant Ranunculi duo paludem , quæ fideris calore , ut æstare fieri solet , exsiccata , relictis sedibus illis pergebant quæsitum alias. Cumque venissent ad profundum puteum : Hic , inquit unus , commodè manebimus , neque facile alium locum meliorem invenire poterimus. Cui respondet alter : Placere & sibi locum , sed arbitrari se , priùs quàm illò desilirent considerandum , si quo casu & illæ aquæ recessissent , quâ ratione de puteo redituri essent.



Ut labyrinthos non oportet ingredi sine filo , quò securiùs possis redire : ita non est suscipiendum negotium , nisi priùs perspectâ ratione quâ te possis indè rursùs explicare.

Ra-



Ranæ duæ vicinæ.

Rana duæ inter se propinquis sedibus
 Ætatem agebant, altera in via obtinens
 Parvam lacunam, devium stagnum altera.
 Sed in æstuosa solis impotentia,
 Tum cum arva radiis, orbita fervent rotis,
 Admonuit hac vicinam, ut illum deserens
 Periculosum planè, & infestum locum,
 Domicilium transferret in stagnum suum.
 Illa asserens, sese unica dulcedine
 Ejus teneri, ubi egerat vitam, loci,

Mi-

80 . . . GENTYM FABULA
*Migrare renuit : donec illam transiens
Gravis sonante currus obtrivit rota.*

Homines malos plerumque mors ante oc-
cupat ,
Quàm criminum vitæque poenitentia.



Sanæ mentis esse dicitur , qui à rectitudine
consilii non alienatur. *Hugo à S. Victore.*

Qui sine consiliis vivunt , seipsos rerum even-
tibus præcipientes deserunt. *Greg. magnus.*

Au-



Auceps & Cassita.

Alitibus laqueos Auceps cū tenderet, alta
 Hunc conspicata ab arbore
 Quidnam ageret, simplex animi Cassita rogavit.
 Condo, inquit Auceps, oppidum.
 Deinde per insidias, procul inter opaca resedit
 Dumeta, & umbras arborum.
 Illa, fide verbis halita, ut nova comminus urbis
 Consideraret moenia
 Accedens illuc, laqueis fallacibus haesit.
 Redeunte tum ad pradam aucupe,

F

Heus;

*Heus, inquit, bone vir, si talem extruxeris urbem,
 Paucos habebis incolas.*

Principum avaritia, cæcæque libidine læsi
 Vastantur urbes civibus.

Dum escam appetit, irretita laqueo Cassita,
 deplorans fortunam suam, Me miseram & infelicem,
 inquit volucrem, non ego aliis aurum
 subdixi, non argentum rapui, nihil invasi res
 ullius preciosæ, sed parvulum tritici granum
 mortem mihi affert.



Non sunt occultiores insidiæ, quàm ea quæ
 latent simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine. *Cicero.*

Vigilandum est semper : multæ sunt insidiæ
 bonis. *Idem.*



Deceptor & Apollo.

O Vidam olim , ut ipse sibi videbatur ,
catus

*Abconditum passerculum manu tenens ,
Ad Delphicum profectus est oraculum ,
Hac sciscitatione lusurus Deum :
O Apollo , passer , quem manu teneo mea ,
Dic sedulo , oro , vivus est , an mortuus ?
Si Apollo respondisset , illum vivere ;
Compressa eum elisurus ipse erat manu ,
Statimque prolaturus illi mortuum :*

F 2

Sin

*Sin mortuum dixisset, ipse dextera
Proferre laxa vivum eum decreverat.
Sed Apollo prudens, Passer, inquit, hic tuus;
Ut tutè vis, & vivus est, & mortuus.*

Mortalium tanta est malitia, ut se Deum
Ipsum arbitrentur posse circumscribere.



Turpis est omnis fraus, etiam in rebus villi-
bus. *S. Ambros.*

Fraus detestandis vitiorum è pestibus una.
Prud.



Felis & Gallus.

Comprensus Felis Gallum cū tradere
ventri

*Fejuno vellet, jure ut fecisse videri
Posset, & hanc noxam specie velaret honesti,
Accusabat eum, quod pervigili atque molesto
Turbare nocturnam hominum clamore quietem.
Defendente illo, sese utilitatis eorum
Id causa facere, ut moniti adventantis Eoi
Ad sua quisque operum studia exercenda redi-
rent.*

F 3

Hunc

*Hunc rursum is natura hostem , infandog³ se-
rorum*

*Concubitu , & matris sœdum , incestumque vo-
cabat.*

Ille excusabat scelus utilitate , suamque

Hinc multis dicebat heram ditatier ovis.

Tum Felis tandem perscripta fronte ; sed etsi

Argumenta tuam defendunt plurima causam ;

Impastus tamen , inquit , ego hinc discedere nolo.

*Vim qui inferre parat , cupidus , certusque
nocendi ,*

*Frustra illum ratione premas , aut jure re-
fellas.*



*Homo malus millies plura mala , quàm fera
facere potest. Arist.*

Mali sunt homines qui bonis dicunt malè.
Plaut,



Vulpes vota mutans.

Initura Vulpes cortem opimam divitis
 Pingui refertam genere gallinaceo,
 Foramen id, quàm transeundum erat sibi,
 Cupiebat in penetrando dilatarier.
 Rursùm inde subreptam ore Gallinam esse-
 tens
 Cùm jam imminentem horreret à tergo Ca-
 nem,
 Ne se ille posset insequi, orabat Deos,
 Vti foramen redderent quàm arctissimum.

F 4

Pro

Pro commodis mutare vota homines solent,
Sententiam alternante nunc spe, nunc metu.



Non omnia eveniunt quæ in animo statueris. *Homerus.*

Plus in metuendo est mali, quàm in eo ipso quod timetur. *Cicero.*

Qui timetur timet, nemo potuit terribilis esse securè. *Seneca.*

*Quid enim ratione timemus,
Aut cupimus? Quid tam dextro pede concipis, ut te
Conatus non poeniteat, voti que peracti?*
Juvenalis.

Non est turpe cum re mutare votum, aut consilium. *Seneca.*

Mus-



Musca , & Quadrigæ.

S Tarent Quadrigæ cū paratæ cur-
sui,

Musca advolans temoni earum infederat.

Missō ergō signo , illisq; procurrentibus ,

Pulsu rotarum & quadrupedantis ungu-
le

Pulverea nubes mota opacavit diem.

Tum in se Musca , gestiens , Dii magni ,
ait ,

Quantam profundi vim excitavi pulveris.

F 5

Ri-

Ridiculus est, qui laudis alienæ decus
Sibi vindicare gloriando nititur.



*Nec te collaudes, nec te culpaveris ipse:
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.*
Cato Poëta.

Nulla est tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur. *Valer. Max.*

Graviter decipiuntur qui putant se aliquid esse, cum nihil sint. *Petrus Blesens.*

Oportet juxta suam quemque conditionem uniuscujusque rei spectare modum. *Horatius.*



Pica & Aves.

CVculum opacis frondium umbris ab-
ditum

*Intuita limis Pica, & Accipitrem rata,
Aëria celeri spacia tranabat fuga.*

*Quam conspicata quæ assidebant alites,
Vanum illius terrorem & insanos metus
Cœpere salibus, atque risu prosequi.*

*Quibus illa, ego rideriet vobis, ait,
Malo, quàm amicis ac propinquis flierier.*

Fer-

Fertur faciliùs quod pudet quàm quod piger.



Pusilanimi sunt qui se submittunt, & magis quàm par est abjiciunt. *Magirus.*

Pusilanimitas parvitasque animi vitium est: per quod fit ut neque fortunam, nec infortunium, neque nomen, nec ignominiam ferre possit. *Aristot.*

Multa inhonesta & indigna ferre pusilanimitas facit. *S. Bonav.*

De pusilanimitate tolerantiae, etiam conscientiae pusilanimitas generatur. *S. Bernardus.*



Mures.

Coactus olim cū Senatus Murium
 Deliberaret, sava quo possent modo
 Cavere Felis furta, & insidias graves,
 Decrevit unus, collo ut adversarii
 Suspenderent ex are tintinnabulum,
 Cujus sonum illum adesse persentiscerent.
 Probare pro se quisque consilium; & statim
 Cœpere pedibus ire in hanc sententiam.
 Tum ab sede surgens unus ex primoribus;
 Cui cana vetulas barba velabat genas,

Manu

*Manu silentium imperans , Mihi quoque
 Probatur , ut cui maximè , hæc sententia :
 Sed oro vos , quis , inquit , ex nobis patres
 Feli ausit alligare tintinnabulum ?*

Carent periculosa consilia exitu.



Prudentis proprium est examinare consilia ,
 & non citò facili credulitate ad falsa prolabi.
Valer. Maximus.

Prudentis hoc maximè proprium munus est ,
 benè consultare. *Arist.*

Consilio non opus est nisi in adversis. *San-
 ctus Augustinus.*

Sicut iudicii est discernere quod liceat , vel
 quod non liceat ; sic profectò consilii est probare
 quod expediat , vel quod non expediat. *Sanctus
 Bernardus.*



Avarus.

Avarus auri massam humi defoderat:
 Quam cum anxius quotidie iret vi-
 sere,

Vicinus observavit, & clam sustulit.

Reversus ille, offendit ut vacuum locum,
 Flere acriter, barbam & capillum vellere.

Vocare se mortaliū miserimum.

Causa doloris cui viator cognita,
 Desiste, ait, te affligere; inque auri lo-
 cum

Saxum

*Saxum repone ; & id tibi esse aurum puta :
Etenim , ut video , ne tum quidem aurum habere te ,
Aurum cùm habebas , jure poteras dicere .*

Tam deest avaro quod habet , quàm quod non habet.



Nulla avaritia sine pœna est , quamvis satis sit ipsa pœnarum. *Seneca.*

Avaro nihil nimis. Avarus animus nullo satiatur lucro. *Idem.*

Miserum , quem divitiæ fecêre mendicum.
S. Petr. Chrisol.

Avarus nunquam finem suæ imponit cupiditati. *Idem.*

Quis dives ? qui nihil cupit : & quis pauper ? avarus. *V. Beda.*



Vulpes & Lupus.

IN puteum ab alto lapsa Vulpes mara-
 gine,
 Jam profundis haurienda aquis erat.
 Misera ergo ab adventante fortè illuc Lupo,
 Supplex petivit, fune demisso extrahi.
 Ille otiosi more, querere institit,
 Quo lapsa pacto, quo fuisset tempore.
 Prius eripe hinc me, dum licet, Vulpes
 ait,
 Deinde audies omne ordine ut factum fiet.

G

In

In re arcta amici ne esse cunctator velis.



Iniquum est lapsis manum non porrigere.
Seneca.

Alium re, alium fide, alium consilio, alium
præceptis salutaribus adjuva. *Idem.*

Generosi animi & magnifici est juvare & pro-
desse. *Idem.*

Ad eos quos adversa, & iniqua fortuna pre-
mit, cupidè & ultrò eundum est, non expe-
ctandum usque dum voceris. *Aristoteles.*

Non enim meremur in periculo liberari,
si non succurrimus, non meremur auxilium si
negamus. *Lact. Firmianus.*

Proximi casum ne ride, verùm ipse quidem
quàm tutissimè poteris, incede : ei autem qui
humijacet, manum porrige. *S. Joan. Damasc.*



Canna & Oliva.

DE honore firmitatis, atque virium
Canna atque Oliva litigantes, invicem
Gravissimas dixere contumelias.

Atque adeò, tu ne inepta te praponere
Audes mihi, aut certare mecum? Oliva ait:
Ego stipite inconcussa robustissimo,
Telluris in profundo radices ago:
Tu caule lento, tamquam olus, summo in solo
Hares; & omni obnoxia aura fluctuas.
Hac illa cum jactaret insolentius,

Tandem immodestis Canna parcens litibus,
 Silentium egit, tempus expectans suum.
 Ecce autem atroci turbine Eurys impotens
 Incubuit arvis : cui cum Oliva improvidè
 Obniteretur, fracta procubuit solo.
 At Canna cedens utrò, & huc illuc levi
 Inflexâ declinatione spiritûs,
 Incolumis & superstes adversaria,
 Gravem ejus olim risit insolentiam.

Potentiori non reluctari expedit.

Disceptabant de fortitudine, robore, & constan-
 tia Olea, seu Quercus (nihil enim refert) & Arun-
 do. Cum autem Olea sive Quercus Arundini ex
 probraret mobilitatem, & quod ad quamvis illa
 exiguam auram tremeret, tacuit Arundo. Non
 ita diu post, ingruentibus ventis, & resistente
 flatibus ipsorum vel Olea vel Quercu, ab ho-
 rum illa vi eruta & dissipata fuit. Arundo autem
 submissione suâ integritatem conservavit.



Tantum quantum vult potest, qui se. nisi
 quod debet, non putat posse. *Seneca.*

Nihil terrenâ potestate brevius. *Joan. Trithem.*

Afini



Asini & Jupiter.

Pertasa gens asinina duras sarcinas,
 Legationem misit ad summum Jovem,
 Aliquando ut à tam exercita vita sibi
 Tandem quietem, & otium concederet.
 Quibus volens denunciare Iupiter,
 Fieri id nequire, tum quieturos eos
 Respondit, ubi tantum universi meierent
 Uti perenne flumen inde existeret.
 Ex illo Asini, cum existimantes serio
 Hac elocutum, ubi alterius vident

Urinam, ibi insuevere vulgò mciere.



Si quando fatuo delectari volo, non est mihi longè quærendus, merideo. *Cicero.*

Nondum felix es, si nondum te turba deridet. *Seneca.*

Non invidiâ sæpè, sed miseratione dignus est qui illuditur. *S. Zeno Episc.*

Stultitiæ proprium est pravè de rebus judicare, pravèque consulere, pravè præsentibus cum rebus congregi, conflictarique, pravè de iis rebus, quæ in vita bona malaque versantur, sentire. *Arist.*

Somno similis est indoctorum vita, inanes habens opiniones. *Idem.*



Herus & Canis.

Canem habuit olim quidam : is illum pas-
cere

Cùm vellet, id manu ipse faciebat suâ :

Cùm verò verberare eum decreverat,

Servo suo mandabat illud muneris,

Pertusus ejus vitæ ad extremum canis

Aufugit. Herus huic postea casu obvius

Convicium ingens fecit, oneravit probris,

Et bestiam appellavit ingratissimam :

Quòd semper ab se pastus, atque habitus bene,

G 4

Nec

Nec verberatus umquam , herum tam amabilem

Relinquere induxisset in animum suum.

Tu tu ipse , tu me verberasti , inquit Canis :

Tibi depilatum tergus hoc miserum , tibi

Accepta refero facta flagris ulcera.

Etenim quod , imperante te , servus tuus

Faciebat , abs te id esse factum existimo.

Æquè , est nocens qui mandat , atque is qui facit.



Qui occasionem damni dat , & damnum dedisse videtur. S. Innoc.

Præcepta majorum & timori esse debent & amor. S. Greg.



Canis & Caro.

Canis ore frustum carniū ferens, vado
 Transibat amnem. Cumq̃ue contemplanti
 aquam,
 Speciem ampliorem carniū illa redderet,
 Verum atque certum obsonium de faucibus
 Amisit inhians illi imaginario.
 Delusus ergo, speq̃ue frustratus sua,
 O me pecudem, ait, quanta ego impru-
 dentia
 Id, quod tenebam, amisi, ut id, quod non erat,
 G 5 Cap-

*Captarem , & umbram corpori amens prae-
tuli.*

Ne incerta certis anteponantur , veto. .

Ferebat Canis secundum flumen decurrens
raptum alicunde carnis frustum , cujus imago
cum in aquis appareret , Canis avidus , illam ,
quasi alterum frustum undis innatans , appetit :
sed dum pandit rictum , ut assumat , id quod
tenuerat , amittit.



Qui duos insectatur Lepores neutrum capit.

**Felix est qui suam fortunam est contentus. Mar-
st. Ficin.**



Asinus & Aper.

Magnanimum cū segnis Aprum rideret
asellus :

Ille premens iram , & sedatā mente reni-
dens ,

Perge , inquit : nam te tua tutum ignavia
præstat ,

Nec tu unquam tantis potis es me incessere
probris ,

Tam vili ut digner generosum sanguine den-
tem.

Nam

Nam quamvis noxam meritis, dignusque ma-
la tu,

Nostrea indigna tamen sese huc demittere virtus.

Virtutem ne forte tuam contemptior hostis
Inquinet, ultrices moderare potentior iras.



Magni animi est proprium placidum esse tran-
quillumque, & injurias atque offensiones sem-
per despiciere. *Seneca.*

Qui generosus est atque magnanimus, multas
ac magnas adversitates facilè perfert. *Arist.*

Non est magnanimi meminisse, sed potiùs
despicere mala. *Aristot.*

Magnanimos nos natura produxit, & ut qui-
busdam animalibus ferum dedit, quibusdam
subdolum, quibusdam pavidum: ita nobis
gloriosum & excelsum spiritum, quærentem ubi
honestissimè, non ubi tutissimè vivat, similli-
mum mundo. *Seneca.*

Injurias magnanimus debet parvipendere, &
à memoria repellere, tunc in mente sua quietus
erit. *S. Antonin.*

Pul-



Pullus Asini & Lupus.

Morbo Asinus olim cùm laboraret gravi,
 Vt adesse mortem rumor increbesceret,
 Lupus ore ficto accessit illum visere.

Quem Pullus Asini, qui assidens erat patri,
 Per obserata janua rimam agnitum
 Admittere intrò noluit. Sed enim Lupus,
 Quonam modo se haberet ager, inslitit
 Rogare. Melius, ille ait, quàm tu velis.

Suspecta meritò sunt & obsequia hostium.

Om-



Omnium est communis inimicus qui proditor est : nemo enim unquam sapiens proditori credendum putavit. *Cicero.*

Proditor pacem pollicetur , ut graviora bella exerceat : ridet ut mordeat : manum offert , ut ex improvise interficiat. *S. Hieron.*

Lupi, vigilante Pastore, ovibus nocere non possunt : traditores verò nec ovibus nec pastoribus parcunt. *S. Chrysost.*

Qui palàm est adversarius facilè cavendo vitari potest : occultus verò , intestinus ac domesticus opprimit , antequam prospicere atque explorare possis. *Cicero.*

Gravior inimicus qui latet sub pectore.

Inimicus manifestus melior est quàm amicus fictus , ille dum timetur , facilè vitatur : iste dum non cognoscitur prævalet. *S. Joan. Chrysost.*



Lupus & Grus.

O Vem Lupo voranti os in gula haerens,
 Medicam ut necesse fuerit accersi Gruem.
 Ea pacta pretium, penitus in gulam Lupi
 Collo suo immisso, os molestum sustulit.
 De premio appellante tum Lupum Grue,
 Abi, inquit ille, abi imprudens: sat praemii est,
 Collum è Lupi quod faucibus saluum refers.

Homines mali beneficium se existimant
 His tribuere, in quos maleficio abstinere.

Inter



Inter plurima maximaque vitia, nullum est frequentius, quàm ingrati animi. *Seneca.*

De ingratis etiam ingrati queruntur. *Idem.*

Ingratus est, qui dissimulat : ingratus, qui non reddit : ingratus omniùm, qui oblitus est. *Idem.*

Dixeris maledicta cuncta, etiam ingratum hominem dixeris. *Idem.*

Quam deforme est, ut pro beneficio ei, qui te adjuvit, rependas molestiam ! *S. Ambros.*

Ingratus scelestus est : qui enim erga beneficium ingratus est, qualem se erga alios præstabit ? *S. Joan. Chris.*

Nihil est iniquius quàm odium pro dilectione rependere, mala pro bonis retribuere, pro correctione injurias respondere. *S. Greg.*



Jupiter & Cochlea.

Recens creatis Bestiis Divum pater,
 Quod quaeque primum postulavisset, dabat.
 Tum Cochlea impetravit, ut suam sibi
 Domum liceret ferre junctam corpori.
 Interrogata cur onus tam incommodum
 Pro munere expetisset; Hoc incommodi
 Perferre, dixit, malo, quàm arbitrii mei
 Non esse devitare vicinos malos.

Vicinitas mala instar infortunii est.

H

Præ



Prudentis est prospicere, ne quid eveniat mali : fortis tolerare, si quid fortè obtigerit.
Mimus Publ.

Vicinus malus milies plura mala, quàm fera facere potest. *Arist.*

Ubicumque fuerit providentia, frustrantur universa contraria. Ubi autem providentia negligitur, omnia contraria dominantur. *S. Cyprianus.*

Turpe est ut major sit prudentia in brutis, quàm in prudentissimo animali quod ultra bruta rationem accepit. *S. Bonav.*

Hesiodus. Scitè ab eo dictum est, tantum damni est ex malo vicino quantum ex bono commodi : Et nactus est premium, quisquis nactus est bonum vicinum.



Satyrus & Homo.

Satyrus atque Homo fuerunt olim amici
maximi:

Quorum amorem gratiamq; casus hic scidit re-
pens.

Saviente aliquando bruma, cùm manus gelidas
Homo

Crebrò ad os suum admoveret, calidum agens
anhelitum,

Satyrus adspirationis causam ab illo quasit.

Frigidas, respondit ille, sic calefacio manus.

H 2

Ps-

*Postea, cœnante utroque, ut sapè consueverant
simul,*

*Fortè cùm venisset illuc ferculum ferventius,
Atque Homo afflavisset ossa quam sibi desum-
serat,*

*Denuò causam rogatus hujus afflatus sui,
Hoc modo refrigeravi, dixit, escam fervidam.
Satyrus hic ira incitatus, Dehinc, ait, te-
cum mihi.*

*Nulla consuetudo fuerit, nulla amicitia fides,
Qui mihi uno eodemque fundis ore calidum &
frigidum.*

*Quem bilinguem nosti, amicum ne tibi hunc
adsciscito,*



*Falsus homo falcitatem tegit, amicitiam tin-
git, & odium exercet. S. Joan. Chrisostomus.*

*Nec novum, nec mirum est humanum ani-
mum posse falli vel fallere : cavendum & hoc &
illud, quia utrobique periculum. S. Bernardus.*

Mu-



Mures & Feles.

Murium vis magna in unis avum agebat
adibus:

*Qui videntes Felis astu se indies absumier,
Hoc suis cœpere rebus remedii, ut excelsissimam
Ædium partem tenerent hosti inaccessam suo.
Quod salubre constitutum Muribus servantibus,
Hunc vicissim excogitavit callidus Felis dolum,
Ut rigillo prominenti pariete ex domestico,
Applicans pedes supinos, capite deorsum pen-
dulo,*

*Mortuum simularet , hunc sic pendulum iturus
Murium*

*Tecto ab alto conspicatus , Nec si , ait , tam mor-
tuum*

*Te viderem , ut follis ex te fieret , umquam fi-
lterem.*

*Qui cave ne decipiatur , vix cavet . cum etiam
cavet .*

*Etiā cum cavisse ratus est , sępę is cautor
captus est .*

In domo quadam magna copia Murium di-
versabatur. Hoc Felis cūm comperisset , eodem
se contulit , & venatione atque captura muscu-
lorum bene aliquantisper victitavit. Cūm autem
Mures animadvertērent suum numerum quoti-
dię fieri minorem , & quod à Felse consumeren-
tur , statuerunt se intra suas cavernulas & iis in
locis continere , in quę pervenire illa non pos-
set. Felis cūm Mures non magis , ut soliti fue-
rant , procurrere videret , statuit fraude elicere ,
seque quasi mortua esset , de clavo quodam sus-
pendit. Quam conspicatus fortē desuper mus-
culus : Heus tu , inquit , si te in sacculum con-
versum esse sciam , nunquam tamen commissu-
rus sim , ut ad te propius accedam.



Vulpes & Aquila.

Vulpes & Aquila amore juncta mutuo,
 Ut amicitia adolefceret vicina,
 Habitare decrevêre junctis sedibus.
 Et hac quidem locavit alta in arbore
 Nidum, illa verò in concavo ejus caudice.
 Ita deinde fœtus utraque edidit suos.
 Sed enim, profectâ Vulpe quondam ad pabulum,
 Aquila fame incitata, nido devolans
 In lustra Vulpis illius natos sibi
 Suisque dulcem rettulit pullis cibum.

Reversa Vulpes, fœditate cognitâ
 Rei, atque rupti indignitate fœderis,
 Quantum doloris atque luctus cœperit,
 Quamque impotenti incendio irarum arserit,
 Reputare quis de suo sensu potest.
 Nec verò acerba tam suorum liberûm
 Dolebat illa morte, quàm quod aliti,
 Terrestris ipsa, non videbatur ferè
 Umquam nocere posse, nec par reddere.
 Quid ergò misera poterat, illud scilicet
 Faciebat, ut superbam in adversariam
 Probra atque inanes rabida jactaret minas.
 Sed non diu est latata ruptrix fœderis
 Sua insolenti injuria: nam Rusticus
 Capella in agro fortè sacrificantibus,
 Illa advolans frustum involavit carniûm,
 Cui carbo candens è foco sacro hæserat:
 Quod cùm intulisset nido, is occultum aridus
 Concepit ignem: dein coorto commodum
 Vento excitata flamma in Aquila filios
 Teneros adhuc & involucre saviit:
 Quos ustulatos decedentes arbore,
 Spectante matre, & flente natorum vicem,
 Duplici voravit lata Vulpes gaudio.

Qui tenuem amicum lædit, huic si humanitus
 Impunè fuerit, imminet vindex Deus.

Vul-



Vulpes.

Comprensa laqueo in sepe Vulpes abdito,
 Implexam in evadendo caudam perdidit.
 Id ei molestia, ac pudori tanto erat,
 Uti sibi esse vitam acerbam duceret.
 Tandem hoc remedii excogitavit, ceteris
 Ut Vulpibus suaderet, ut caudas sibi,
 Onus molestum, incommodumque abscinderent:
 Ita publico dedecore lectum iri suum.
 Ergò advocata concione Vulpium,
 Hortari ad id vehementer illas institit.

H s

Cui

*Cui tuum remidens una de popularibus,
An tu; quia istud expedit soror tibi,
Idcirco, ait, dæc cæteris hoc consilii?*

In publicis deliberationibus
Plerique tantum commodis suis student.

Elapsa Vulpes de laqueo, sed mutila, nam caudam amiserat, non vivendum in tanta deformitate sibi esse existimans, coepit in commune suadere omnibus, ut & ipse præcidi caudas sibi paterentur: cupiebat enim in turba & societate turpitudinis suum vitium quasi occultare. Quid enim, inquit, has & indecoras, & supervacaneum onus gestamus, vel potius attrahentes defatigamur? Aut cuinam, obsecro, rei utiles sunt, nisi fortè verrendum solum conduximus? Parantem dicere plura, una de multitudine juvencula, fertur, interpellasse his verbis; Heus tu, mea matercula, num fueras hoc suatura etiam, si non tibi emolumento futurum esse sperares?



Lignator & Mercurius.

Propter amnem ligna cadens , cùm securim
Rusticus

Fortè lapsam perdidisset in profundo gurgite ,
Lacrymans suum dolere cœpit infortunium :
Cui benignam opem misertus obtulit Cyllenius ,
Et statim urinatus , imo ab usque fundo fluminis
Auream efferens securim , num e;us esset , quæsit.
Ille enimverò negavit : proindè rursùs quæreret.
Tum Deus reversus alti stagna in amnis infima ,
Alteramq; emersus inde proferens argenteam ,

Id

*Id quod antè sciscitatus , id quod antea audit :
Ferream demum securim sedulo expiscatus est.
Quam recepit ille latus , atque gratias agens.
At Deus , viri probata integritate simplicis ,
Auream huic , argenteamque muneri ultrò tra-
didit.*

*Qua suis cum deinde amicis rettulisset Rusticus ,
Unus ex iis cogitavit per dolum ditare se :
Atque eundemmet profectus in locum quod fe-
cerat*

*Fortuito homo ille simplex ut securim amitteret ,
Id suapte sponte fecit ipse per fallaciam.
Huic item Deus quarenti de securi perdita ,
Atque flenti & ejulanti se repertorem offerens ,
Cum securim in amne mersus extulisset auream ,
Haccine est tua amice ? dixit. tum ille totus ge-
stiens ,
Hac mea ipsa , ait , profectò est : hac mea ipsa
ipsissima.*

*Hanc Deus tantam perosus hominis impudentiam ,
Tradere auream securim non recusavit modo ,
Ferream sed reddere illi propriam ejus noluit.*

*Qui bonum colunt & æquum, sæpè ditat hos
Deus :
Fraudentos improbosque sæpè contrà pau-
perat.*

Ful-



Fullo & Carbonarius.

Fulloni instaret cùm Carbonarius olim,
 Viveret ut secum, atque habitaret in adi-
 bus isdem,
 Quonam, ait, ille modò, genere in tam dis-
 pare questus
 Tecum habitare queam? nam quæ ipse à sordi-
 bus alba
 Reddidero, tu rursùm atra fuligine tinges.

Ingeniū tibi dissimilis consortia vita.

Pre-



Prodest animæ salutis societas bona, & nocet
conventio prava. *Thom. à Kempis.*

Nemo bonus securè cum malis habitat. *Law.
Justin.*

Rerum natura sic est, ut quoties malo con-
jungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex
malo bonus contaminetur. *Joan. Trithem.*

Multum nocet mala societas, & multum ju-
vat bona societas. *Hugo Cardin.*

Diversitas rerum non potest habere confor-
tium. *S. Joan. Chrysostomus.*

Res immensi præconii est, inter malos lau-
dabiliter conversari. *S. Gregor.*

Tales habeto socios, quorum contubernio non
infameris. *S. Hieronimus.*

Sicut bonorum consortium multum adjuvat,
sic malorum societas frequenter multum no-
cet. *Idem.*

Jacta-



Jactator.

Quidam à peregrinatione longinqua
 Domum reversus, multa strenuè facta
 Ab se in peregrinatione, jactabat.

Inter qua, eum saltasse se Rhodi saltum,
 Quem aquare nullus ex ea urbe quivisset:
 Hujusque testes facti habere se multos
 Sanè graves idoneosque dicebat.

Cui tum ex corona quidam, Amice, quid
 testes

Adducis, inquit, cum probare re possis?

Nam

*Nam si utique verum est , quod refers ; fidem
nobis*

Res ipse faciat : en Rhodus tibi, en saltus.

Vbi rebus opus est , verba inaniter jactes.



Jactans se non est sapiens. *Sixt. Philos.*

**Qui virtutem suam publicari vult , non vir-
tuti laborat , sed vanæ gloriæ. *Seneca.***

**O mores ! usque adedne
Scire tuum nihil est , nisi te scire hoc sciat alter ?
Perseus Satyr.**

Vul-



Vulpes & Rubus.

Excelſam Vulpes ſepem conſcenderat horti:
 Unde gradu inſtabili, & titubante per
 ardua planta,
 Apprendit caſura rubum, ille infeſtus acutis
 Sentibus incauta pupugit veſtigia Vulpis.
 Qua malè multata, & plantas laniata cruen-
 tas,
 Incuſare rubum, probrisque inceſſere cœpit;
 Quod ſibi, ad ejus opem, qua conſuſiſſet in
 artibus

Rebus, inhumano nocuisset barbarus ausu.

*Cui rubus; Immo, ait, imprudens planè ipsa
fuiſti*

*Me apprendendo; alios omnes qui apprendere
ſuevi.*

*Stulti adeò ſunt ſæpè homines, ut rebus
in arctis*

*Confugiant ad eos; quibus ultrò ledere
mos eſt.*



Inertis eſt neſcire quid liceat ſibi.

Sen. Trag. Octa.

*Non eſt leuius omninò neſcire quod liceat,
quàm facere aliquid, quod ſcias non licere. Senec.
Phil.*

Qui evitat diſcere, incidet in ma'a. Prov. 17.

Mu-



Vulpes & Larva.

MImi ingressa domum Vulpes , dum sin-
gula rerum
Visendi studio , scana instrumenta revolvit ,
Formosi larvam simulacrum repperit oris :
Inque manus sumens , animoque , & lumine
lustrans :
O quàm insigne caput , specie quàm , dixit ,
honestâ ,
Sed ratione inops , casseque informe cerebro.

Sordet honos formæ , nisi cui sapientia
juncta est.



Bion formam dicebat esse bonum alienum.
Sentiens extra hominem esse , quod ipse sibi
nec dare potest , nec tueri datum. Animi bona
verè nostra sunt. *Laertius lib. 4. c. 7.*

Vera pulchritudo est spiritualis , & mentis
tantum oculo conspicitur. *Lud. Blos.*

Sapientia est ille rectus & genuinus num-
mus , cujus vice omnia hæc sunt commutanda,
cujus gratiâ , & cum qua omnia & vendantur &
emantur. *Plato.*

Non in forma , sed in corde sapientia est.
Lact.

Minor est sapientia si intellectu careat : & val-
dè inutilis intellectus est, si ex sapientia non con-
sistat. *S. Greg. Magn.*



Canes duo.

Canis fuit, qui tempore pluvio domi
Se continebat, nec pedem unquam è
limine.

Interrogatus hic ab aequali suo,
Cur id faceret. Ego, inquit, aliàs fer-
vida
Persusus unda, timeo nunc & frigidam.

Timet innocentem, qui nocentem per-
tulit.



Officium prudentiæ est, ex præteritis & præsentibus futura perpendere. *S. Bonavent.*

Prudentis proprium, examinare consilia, & non citò credulitate ad falsa prolabi. *Seneca.*

Qui cavet laqueos, securus erit : qui autem non cavet, est aut stultissimus, aut perversus. *S. Bonavent.*

Prudensest qui cavet ne fallatur. *Hugo Card.*



Mulier & Medicus.

Lippa olim Mulier Medico persolvere cer-
tam

Mercedem pacta est depulso denique morbo.

Is caligantem quotiens curaverat egram,

Tempore quo nihil uti oculis ea quibus inunctis,

Obvia quaque domo rapiens, exhibat onustus.

Iamque exportatis spoliaverat omnibus illam,

Cum bene haberi oculi, solitamque admittere
lucem

Cœperunt; tunc demum opera, remediq, salubris

I 4

Mer-

*Mercedem Medicus cum posceret , illa recusans,
Deterior nunc est visus mihi , quàm fuit antè:
Quippe domi congesta prius quæ multa vide-
bam ,
Nunc quocumque oculos verto , nil conspicio ,
inquit.*

*Corrumpunt multi , atque hominum de
pectore dolent
Offensis sua sæpè novis benefacta priora.*



*Nullum est tam plenum beneficium, quod non
vellicare malignitas possit. Seneca.*

*Beneficium tale esse debet , ut semper profit.
S. Anselm.*

*Beneficiis ingratus exhibitis , ineptus efficitur
exhibendis. S. Bonav.*



Afinus Dominos mutans.

O Litori asellus serviens, quòd pabuli
 Quàm minimum haberet, quòd laboris
 plurimum,
 Iovem est precatus, ut sibi alium herum daret.
 Dedit ille figulum: cui lutum assidue ferens,
 Durosque lateres, tegulas prae graves,
 Iniquiore sorte mutò quàm prius
 Agebat: ergo denuò Dominam sibi
 Mutare uti liceret, oravit Iovem.
 Quo assentiente, venditus coriario.

I 5

Ubi

Ubi verò aserbam, luctuosam, & perditam
 Miser trahebat vitam, onustus foetidis
 Fratrum suorum, affiniumque pellibus.
 Tum triste rudens, Ah quàm, ait, satiùs fuit
 Servire servitutem heris prioribus.
 Hic enim, ut video, ubi me labore occiderit,
 Corium quoque exercere perget mortui.

Mutare Dominum non nisi in pejus da-
 tur.



Gratiâ indigent non mediocri, qui inveteratos
 cupiunt, & volunt aboleri mores. S. *Laur.*
Iustin.

Ut homo pravus facilè est mutabilis: sic &
 natura prava est ea, quæ indiget mutatione.
Arist.



Cervus & Vitis.

Vim Venatorum fugeret cum Cerva sequentum,

*Frondea ramosa subiens umbracula vitis
Delituit : donec jam discedentibus illis,
Se rata jam tutam defunctamque esse periclo,
Ipsa suas ausa est morsu exagitare latebras,
Et sibi pratentas avidè decerpere frondes.*

*Quem motum ramorum, agitataque vitea tecta
Conversi venatores cum fortè viderent,
Illi opinati quod erat, sub fronde latentem*

Esse

Esse feram, certis miseram fixere sagittis.

*Qua moriens, calidoque animam cum sanguine
fundens,*

*Iure, ait, hoc patior : neque unquam ledere,
qua me*

Servarat, debebam, aut tales reddere grates.

Divina ingratos homines ulciscitur ira.

Cùm fugeret Cerva insequentes Venatores, occuluit se sub vite : Venatoribus autem paululùm prætergressis, quodd putaret se Cerva jam esse in tuto, secura animi carpere pampinos & mandere coepit. Quorum motus atque strepitus Venatores convertit : atque illi, quod res erat, arbitrati sub vite bestiam aliquam latere, accurrunt, & visam Cervam jaculis configunt. Quæ moriens : Meritò, inquit, hoc mihi evenit, quæ violare non dubitarim servatricem meam.



Plerosque homines esse videmus, qui postquam beneficiis affecti fuerint, eos à quibus ea acceperint, perindè ac mancipia contemnant, superciliaque adversus cos attollant. *S. Joan. Damasc.*

La-



Latro & Mater.

Damnatus morti Latro ducebatur acerba,
 Digna recepturus scelerata pramia vite.
 Cui se in conspectum Mater cum mœsta dedisset,
 Ingeminans tristi miserandas voce querelas:
 Ille ut eam affari est permissus, & oscula ferre,
 Maternos morsu in vultus invasit acuto;
 Totaq; scœdavit laceratis naribus ora:
 Detestari hominem plebs circumfusa, vocare
 Immanem parricidam, atrocissima quaque
 Dicere supplicia, & pœnarum exempla mereri.

AU—

*Audite, ille inquit, cives; neu crimine tanto
Indicta causa immeritum damnare velitis.*

*Exitii mihi namque caput, pestisque nefanda
Causa, hac sola fuit: Mater mihi causa mali
omnis*

*Sola fuit, fœdaque huius mihi mortis origo,
Iam inde usque ab studiis, atque à puerilibus
annis:*

*Tempore quo subreptum aqualis fortè libellum,
Rerum ignarus adhuc & honesti nescius, ipsi
Exhibui: lata atque alacri qua fronte veni-
dens,*

*Dulcibus excepit furtivam blanditiis rem.
Inde aliis porro, atque aliis per tempora furtis
Succedentia grassatus huic scilicet arti,
Huic vita generi assuevi, cui triste videtis
Supplicium, sævæque crucis tormenta parari:
Quæ facile evitare mihi licuisset, & esse
Incolumi, ad mores conversa mente probatos,
Si me hac materno imperio, flagroq; salubri
Peccantem teneris castigavisset in annis.*

Exitium natis parit indulgentia patrum.



Vates.

IN populi catu , medio privata canebat
Vates fata foro , & qua quemque eventa
manerent.

Ecce superveniens securo nuntius illi
Exposuit , fures per apertas sortè fenestras
Illius penetrasse domum , quæque intus erat
rem

Asportasse omnem , & vacuos licuisse penates.
Ille gemens , mistoq; ciens suspiria fletu ,
Visurus sua damna , gradu sese inde citato

Pro-

*Proripuit , cui tum media de plebe facetus ,
Cur tu aliis , inquit , prædicere fata professus ,
Non hæc ipse tibi cecinisti instantia damna ?*

Qui sibi non sapit . hic sapiens mihi non
erit umquam.

Divinator in foro respondebat consulenti-
bus , cùm subitò nuncius illi advenit , patere
fores domûs ipsius , neque intus quicquam re-
liquum , sed omnem supellectilem esse direp-
tam. Quo perculsus animo ille exfiliit , & cur-
riculò ad ædes suas contendit. Hunc conspic-
tus festinantem quidam : Heus tu , inquit , cùm
alienarum rerum prædictiones profiterere , cur
tuas negligebas ?



Astrologus.

Obscura Astrologus graditur dum noctis in
umbra

Intentus cœlo, & tacitè labentibus astris,
Decidit in puteum : casuque afflictus iniquo
Implorabat opem , divosque hominesque ciebat.
Excitus accessit putei vicinus ad oras
Salsus homo : Et quanam hac tua tam prepo-
stera , dixit ,
Est ratio ? nam qui ante pedes que sunt sita
nescis,

K

Dis-

Diffita tam longè profiteris sidera nosse.

Quid rerum causas , naturæque abdita
quæris

Ipse tui ipsius , propriæque oblite salutis ?



Icare ; per superos qui raptus est aëra , donec

In mare precipitem cora liquida daret.

Nunc se cora eadem , fervensq; resuscitat ignis ,

Exemplo ut doceas dogmata certa tuo.

Astrologus caveat quicquam predicere praeceptis ,

Nam cadet impostor dum supra astra volat.

Andreas Alciat.



Leo & Vulpes.

Confectus senio Leo, cum jam querere vi-
ctum

Venatu, ut quondam juvenis, non posset, id
astu

Decrevit facere, atque artes tentare dolosas.

Morbum ergo simulans, in opaci faucibus antri
Procubuit, gemitusque dedit. cumque undique
ad agrum

Quadrupedes visendum irent; ut protinus illi
Quaę propinquarat, rictu hanc inhiantem vorabat.

K 2

Hac

*Hac demum multis animantibus arte peremptis,
 Visendi caussa & Vulpes accessit ad antrum:
 Atque à vestibulo agrotum clamore salutans,
 Quomodo haberet, eum cautè officiosa rogavit.
 Respondente illo, se verò pessimè; eamque
 Percunctante, aula cur non penetrare subiret;
 Suscepit Vulpes, quia me vestigia terrent
 Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.*

*Magna mala ex levibus vitat mens pro-
 vida signis.*



*Tarda quidem & nimis sera providentia est,
 cùm jam imminens periculum vitari non potest.
 Richardus à S. Victore.*

*Providentiâ regitur status sapientis, & actio
 ejus universa erit probatissima & stabilis, si ple-
 na sit oculis. Thom à Kempis.*



Armentarius.

PER confragosos fortè saltus devium
 Quarens Iuvencum errabat Armentarius,
 Quem cum irrepertum, ab aliquo abactum cre-
 deret,

Hadum tibi mactare voviz Iupiter,
 Reperire furem si sibi concederes.

Ingressus inde proximam silvam, videt
 Iuvencum ibi ab Leone, lacerare suum.

Tum verò egenus consili, ac tremens metu,
 Supplex supinas sustulit calo manus:

*Tibiſque, inquit, hædum voveram alme Iupiter,
Si vepperiſſem furem : opimum nunc bovem
Polliceor, ejus ſi manus evaſero.*

*Humana mens ; ignora ſortis abdita,
Nocitura ſæpè pro ſalubribus petit.*

Bubulcus amiſerat Vitulum de armento,
quod cuſtodire debebat. Tum ille ſilvas & ſoli-
tudines omnes obire & requirere Vitulum. Sed
multa opera & labore magno nequicquam ab-
ſumto, votum Jovi fecit, ſe hædum illi caſu-
rum, ſi eſſet ſibi fur offenſus, qui Vitulum ra-
puiſſet. Ibi fortè delatus in ſaltem, videt Leo-
nem, à quo mandebatur Vitulus. Ad cujus con-
ſpectum ingenti formidine percitus Bubulcus ;
Magne, inquit, Jupiter, reperto Vituli fure
hædum me tibi ex voto debere confiteor, ſed
nunc opimum bovem à me accipe, & ex illius vi
atque unguibus me eripe.



Lupus & Mulier.

ARVA cùm jejunus olim pervagaretur Lu-
 pus ,
 Ad tugurium venit , unde vagientem puer-
 culum ,
 Huicque matrem comminantem sanè acerbè ex-
 audiit ,
 Elere ni desineret , illam tradituram se Lupo.
 Serio istac elocutam mulierem ratus Lupus ,
 Iam sibi expectabat objici contumacem puer-
 culum.

*Multam in horam sic moratus , rursus audit
Mulierem*

*Voce blanda , Et ad soporem provocandam tin-
nula*

*Dicere infanti : Bono animo es nate mi dul-
cissime :*

*Nam Lupum , si raptor ille huc venerit , ma-
etabimus.*

*Hic Lupus dum denique omni destitutus spe suâ ,
Tristis in silvas recedens , pro supreme Iupiter ,
Alia dicunt , alia faciunt hinc mortales , ait.*



Sæpè animus etiam aperta dissimulat. Seneca,

*Simplices atque à dolo alieni mores animar
arcana facilè produnt. S. Joan. Damianus.*

*Nulla simulatio multo tempore latebit. Sixt.
Philosophus.*

Ves-



Vespertilio & Mustella.

Lapsam ex aëre avem, cui sero ab vespere
 nomen,
 Cum Mustella rapax laniare infensa pararet,
 Hac vite usuram supplex, veniamq; petebat.
 Olli mustella se parcere posse negante,
 Quod cunctis natura inimica volucris esset,
 Illa implumem alvum lactantiaq; ubera pan-
 dens,
 Atque ita non volucrem, sed murem se esse pro-
 fessa,

Dimissa est sospes, & aperto reddita calo.

*Hæc eadem in rapidos paulò post incidit ungues
Alterius Mustella : & ab hac quoque mittier
orans*

*Audit æternam cum Muribus esse duellum
Mustellis, proin spem venia deponeret omnem.
Illa sed ostentans tenues penna alitis instar,
Membranis tergo hærentes, sese esse volucrem,
Non Murem asseruit : dimissaque rursus in au-
ras,*

Sic commutato bû nomine nacta salutem est.

*Non unam semper rationem insistat agendi,
Qui vitare cupit varî discrimina casus.*





Aper & Vulpes.

DEntes retusos arbore exacuens Aper
Satagebat : atque hunc fortè prae-
riens via

Vulpes rogavit , cur sine ulla pralii
Necessitate acuère dentes tenderet.

Non abs re ego , inquit ille , sic facio ô
bona :

Nam cùm ingruit periculum , & adversa-
rius

Ad sanguinis , vitaeque discrimen vocat ,

Haud

Haud sanè acuerè tum vacat dentes mihi.

Itaque otii & securitatis tempore

Arma apparo , stringenda cùm usus venerit.

Paratus animo contra iniqua casum ,

Aut vincet illa , aut fortius certè feret.



Si vis Pacem , para bellum.



Canes duo & Coquus.

Quidam hospitem accepturus, huic convi-
vium

Lautum profusis apparabat ferculis.

Canis quoque ejus, cùm suum aequalem ca-
nem

Vocasset, in culinam herilem subsequi

Se jussit. is tam splendida spectans dapes,

Papa, quot, inquit, hîc voluptates nova?

Quantum repenti gaudii oblatum est mihi!

Quàm multa video, quamq, opima fercula!

Quo-

*Quorum omnium jam implebor ; & pulchrè
satur*

Famem universo hoc triduo non sentiam.

*Hac cùm secum agitaret , & caudam simul
Motaret alacrem ludibundus , utpotè*

Favore fidens qui vocatoris sui ,

Iam delicatas spe voravisset dapes ;

Coquus hunc repentè pedibus arreptum , gravi

Emisit altas per fenestras impetu.

Qui afflictus , atque perditus , flens , ejulans

Cùm abiret inde , huic alius occurrens canis ,

Ut opiparè cenatus esset , quasiit.

Sanè , inquit ille , tam madens , atque ebrius

Revertor , ac distentus , ut ne ipsam quidem ,

*Qua ingressus inde sum , viam animadver-
terim.*

Qui pollicetur cumque de alieno tibi

Benefacere ; huic tu , si sapias , ne fido.



Simius & Vulpes.

QUADRUPEDUM in cœtu cùm saltavisset honestè

Simius , hunc illa Regem Dominumque creaverunt.

Tacta sed invidia & sensu livoris iniqui ,
Vulpes vafra , novum instituit pervertere Regem.

Atque observatis ad opacum cassibus antrum ,
Huc illum adduxit , tanquam ostensura re-
pertum

Ab

*Ab se thesaurum , qui lege & moribus ipsi
Deberetur uti Regi , rerumq; potenti.*

*Credulus ille dolis inductus , & arte Pelasga ,
Inconsultius approperans , in vincula sese
Induit infelix , & opertis cassibus hæsit ,
Serò animadversas fraudes , & perfida Vulpis
Consilia incusans. Cui Vulpes , Obone , dixit ,
Tu ne isto malè sano animò , tu sensibus istis
Quadrupedum Rex esse audes , sceptrisq; potiri.*

*Ostendit commissus honos , quàm quisque
probandus.*





Vulpes , Asinus & Leo.

Vulpes , & Asinus societate contracta ,
 Simul in ferarum lustra iere venatum.

Iu cùm Leo occurisset , ilicet Vulpes ,
 Tanto in metu periculoque deprensa ,
 Suas ad artes malitiamque confugit.
 Seorsum ab Asino nam Leone convento
 Atque impetrata impunitate pro sese ,
 Ei tradere astu compatem suum pacta est :
 Pauloque post , absconditos ibi fortè
 Improvidum Asinum vasra duxit in casses.

L

Leo,

*Leo, qui videret prædam eam sibi in tuto,
Prius apprehensam ventre condidit Vulpem;
Dein verò ad Asinum versus, hunc quoque ab-
sumpsit.*

Invisus adeo est proditor, graves ut det
Iis sæpè poenas, undè præmium sperat.

Iniit amicitiam cum Asino Vulpes, atque ita
communiter exiere venatum. Cùm autem Leo-
nem conspexisset vulpecula, verita ut evadere
cursu posset, calliditate periculum vitare ten-
tat, & ad Leonem accedens paciscitur vitam suam
pro Asini proditiōe. Leo tum quidē Vulpi
vitam promittit. Illa verò in laqueum inducit
Asinum, in quo captus cùm hæreret, neque
aufugere posset, capit priùs Vulpem Leo, at-
que ita ad devorandum otiosè Asinum accedit.



Formica.

Formica , qua nunc est , homo fuit quon-
 dam ,
 Agro colendo continenter incumbens ;
 Nec secius, silente nocte , furtivas
 Fruges propinquis sapè devehens aruis ;
 Avidoq̃ue semper omnia horreo condens.
 Abominatus Iupiter , sub humana
 Specie ac figura tam nefarium monstrum ;
 In hujus illum membra vertit insecti ,
 Formica qua nunc dicitur. Sed ut formam

*Mutavit oris, non refinxit & mores:
Etenim rapinis nunc quoque arva divexas:
Et insolentes ex agris agit prædas,
Capida, & tenax, semperque parca quasit.*

Eadem manet natura forte mutata.

Quam animantem Formicam nominamus, eam fuisse quondam mortalem humani generis accepimus, exercuisse autem agriculturam, in cujus assiduo studio & summa cupiditate, vicinis & res & frumenta subtrahere clanculum so-leret. Qui cum, ut fit, furi multa quotidie mala imprecarentur, mox tandem Jupiter communi execratione, in animantem, quæ, ut diximus, Formica nominatur, convertit furacem agricolam. Non tamen unâ cum specie mores quoque mutati fuere, nam Formica nunc quoque rura frequentat, & alienos labores ipsa percipit atque recondit.



Afinus & Equus.

A Sinus beatum existimaverat quondam
 Equum, quòd affluenter ordeo pastus,
 Habitusq₃ semper eleganter, & lautè,
 Cutis nitore, obesitate membrorum,
 Curam in se herilem, gratiamq₃ praeferret:
 Cùm ipse interim ne vilibus quidem posset
 Palleis famem, & jejuna viscera implere,
 Praesertim iniqua sarcina fatigatus.
 Sed enim, coorto fortè bellico motu,
 Cùm armis opertum hero insidente vidisset

L 3

Equum

*Equum apparari ad pugnam, & acriter sæpè
Calcaribus vexatum in hostium turmas
Agi, unde vulneratus, & gravi casu
Collapsus, animam vix trahebat afflictam;
Sententiam mutavit; & suam sortem
Præ ejus miseria rursus haud malam duxit.*

Periculosum divitum statum spectans,
Pauperiem, & arctam dilce amare fortunam.

Videbatur Asino beatus esse Equus, qui tam accuratè & copiosè pasceretur, cum sibi ne paleæ quidem post maximam defatigationem abundè præberentur. Fortè autem bello exorto, cum in prælium ab armato Equus ageretur, & circumventus ab hostibus post multiplices labores pugnae, tandem saucius, collaberetur: Hæc igitur omnia conspicatus Asinus, quàm paulò antè fortunatum esse Equum censuerat, tam miserum & infelicem tum esse judicabat.



Monedula.

P Astor prehensa ab se pedem Monedula
 Pilo alligavit ; atque eam gnato suo
 Puerile qui cum luderet , munus dedit ,
 Qua vitam eam pertasa , cùm primum fuga
 Occasio est oblata , cùm vinculo ayolans
 Se in arborem , suumque nidum contulit.
 Circumvoluto verò ramis vinculo ,
 Sese expedire ad evolandum non valens ,
 Cùm instare mortem jam videret , Ei mihi ,
 Lacrymans , ait , gemenſq̃ , qua sat commodam

L 4

Heri

*Heri mei gravata consuetudinem,
Me me ipsa libertate, vitæque exui.*

**Incommodorum sæpè leviorum fuga,
In calamitates maximas incutitur.**

Captam quidam Monedulam alligatam filo devincto ad pedem illius donat filiolo suo cum qua luderet. Illa impatiens humanæ consuetudinis occasionem vincta in fibras evolat. Implicito autem filo arboris rapta, cum jam fame sibi moriendum intelligeret : Me miseram, inquit, & stolidam avem, quæ hominum servitutem fugiens in mortem & curam me coniecerim.



Herus & Canes.

Hiberna nimbo continente tempestas
 Quendam suo deprendit in subur-
 bano

Is primum oves, idem comedit & capras:
 Postremò tempestate perseverante,
 Operarios quoque institit boves vesci.
 Quod ubi Canes videre, territi sanè,
 Interque sese clam timore mussantes,
 Quantum potest fugiamus, inquirunt: nam
 qui

L 5

Ne

*Ne operariis pepercerit quidem bobus ,
Nobis ne eum putamus esse parsurum ?*

Caris iniquus , esse cui potest equus ?

In prædio sub urbe quidam tempestate inclusus primùm ovibus mactatis vitam sustentavit : mox durante illa , ne à bobus quidem aratoribus abstinuit. Quæ cùm Canes fieri viderent , consilium inter se aufugiendi illinc inierunt , quod non sperare posse viderentur , ibi locorum se tutos futuros , ubi bobus aratoribus non parceretur.





Asinus & Vulpes.

Leonis olim pelle Asellus indutus
Reliquas quadrupedes territans vaga-
batur:

Vulpi quoque obvia insolenter insultans,
Terrere & hanc tentavit: illa quæ igna-
vum

Rudentis ejus fortè murmur audisset,
Tua, inquit, ista horrenda torvitas oris
Gravi profectò me pavore complèset,
Nisi, qui Leo esses, te rudente cognossem.

In-

Indoctus idem, atque arrogans, suo semper
Sermone & ignorantiam suam prodit.



Sicut ad verum bonum per fallacia mala; sic
ad verum malum per fallacia bona pervenitur.
Laët. Firmianus.

Veritas fulciri non querit auxilio falsitatis.
S. Greg. Magnus.

Omnis arrogantia odiosa est; sed illa ingenii,
atque eloquentiæ multò molestissima. *Cicero.*

Nihil hominum adeò stultum facit quemad
modum arrogantia. *S. Joan. Chrysostomus.*

Ut Proteus formam, ita imperitus, animum
ubique mutat & variat. *Stobæus serm. 4.*



Asinus, Corvus & Lupus.

E xulceratus dorsum Asellus errabat
 Per prata : cujus ulcera advolans Corvus
 Tundente rescindebat improbus rostro.
 Rudebat ille , fœda labra distorquens :
 Crebrosque calces præ dolore jactabat.
 Morsum ulcerum repetente sapius Corvo ,
 Spectaculum sanè elegans agasoni
 Visum , ut profusos solveretur in risus.
 Quod intuens è proxima Lupus silva ,
 Me miserum , ait , quem si vel eminus tantum
Vi

174 C E N T V M F A B V L A
*Vident, acerbè persequuntur; huic verò
Noxam quoque admittenti amanter arrident.*

Afinus pascebatur quodam in prato : hujus in exulceratum dorsum involat Corvus, & ton-
dit rostro fauciam cutem. Tum Afinus igitur
rudere & subfilire. At agitator ridere præte-
riens autem fortè Lupus & hæc cernens. O no-
strum infortunatum genus, inquit, quos om-
nes ad primum conspectum clamoribus & armis
insectantur ! isti autem, corvum significans,
impunè licet Asini pellem pectere, atque insuper
etiam arridetur.





Bubulcus & Hercules.

Vla in lutosâ prægrave hæserat plaustrum,
 Mersis ad usque axem rotis.
 Nihil hic Bubulcus providere, nec sese
 Opi ferenda accingere:
 Tantum sedens, suamque conquerens sortem,
 Magnum invocabat Herculem.
 Cui nube subtus candida Deus, præstò
 Fuit, & monere hæc institit:
 Age, inquit, & tu enitere ipse per tete,
 Atque id, quod in te est, expedi:

Sti-

Stimulo boves, humerisq₂ promove plaustrum.

*Tum demum agentem quāvis
Vocatus adjuvabo, vique celsi
Humana vota prosequar.*

**Vigilando, agendo, providendo quod possis.
Paratur è cælo favor.**

Bubulcus onustum lignis plaustrum domum agebat : quod cū in lutosā via & salebris hæreret & retineretur, cœpit ille otiosè astans Deos Deasque in auxilium advocare, præque cæteris, quem maximè propter celebratum vulgè robor colebat, Herculem. Tum illi se Herculem conspiciendum obtulisse ferunt, & his verbis corripuisse stolidam ignaviam ipsius : rotis manus, ò Bubulce, applica, & stimulum bobus admove, & Deorum deindè opem poscito, ne si tu cesses, Dii frustra invocentur. Unde & Proverbium natum :

*Manum admoventes invocate Numina.
Et hoc : -
Aliquid & ipse agens fac invoces Deos.*



Arbores & Rhamnus.

R Egnum olim Oliva detulerunt Arbores,
 Et valida latè sceptrā gentis frondea.
 Quibus illa, quæ contenta sorte esset sua,
 O amice, ait, meam ne pinguetudinem,
 Dīs atque hominibus expetitā, deseram,
 Ut imperem, regniq; curis macerer?
 Ite, oro, & alii sarcinā hanc imponite.
 Rejecta eunt ad Ficum: uti regnet, rogant:
 Quæ & ipsa, per se lata nativis bonis,
 Egone ut meam dulcedinem, & suavissimos

M

Fru-

Fructus, sapor mellis Hiblai pares,
 Angore mutem, quo hic bonus exuberat?
 Re rursus infecta hasitabunda Arborea
 Vitem quoque statuere tentandam sibi.
 Ea tum nigranti concolores purpura
 Uvas onustos explicans per palmites:
 Videtis, inquit, has opes, hanc copiam,
 Hoc delicatum tot racemorum decus,
 Deo unde hominibusque humor acceptus fuit?
 Hac dona opima, hac tanta natura bona
 Ut deferam, vos estis auctores mihi?
 Tum verò me omnes omnium stultissimam
 Existimarint, arborum si id fecero,
 Quo me ipsa perdam, ceteris ut consulam.
 Hac illa: at hæc; jam supplicandi tadio
 Fessa, ac labore, Rhamno honorem deferunt.
 Elatus ille regio fastu, ac tumens,
 Si Rex, ait, sum vester, ad me accedite
 Omnes, & umbra sub mea confidite.
 Ni id feceritis, rapidus ignis, nemini
 Parsurus, ex me erumpat, atque ipsas quoque
 Excelsiores hauriat Libani cedros.

Aliis præesse optabile iis tantummodo est.
 Libidini servire qui volunt suæ.



Momus.

Jupiter & Neptunus , & artibus inclyta
Pallas ,

Certavere olim , quis eorum pulchrius orbi

Quid daret. Ergo hominem speciosum rector
Olympi ,

Diva domum , falsa Taurum Rex edidit unda.

Tum Momus judex accitus , & omnia jussus

Contemplarier , atque aqua perpendere lance :

Is primum in Tauro reprehendere cornua cœpit ,

Quòd fronti haberent : etenim consultius armos ,

M 2

Acrios

Acrior undè ictus foret, armatura fuisse.

*Tum sensum mentemque hominis sub pectore
clausam*

*Carpere : quanto illam melius potuisse vel ex-
tra*

Constitui, vel per patulam apparere fenestram;

Ut meditata ejus penitus novisse liceret,

Postremò damnare domum, vitiique notare,

Mobilibus quòd nixa rotis non esset, ut una

Cum domino externas proficisci posset in oras,

Vicinumque malum effugio vitare parato.

**Damnari, carpique etiam rectissima pos-
sunt.**





Rusticus & Iupiter.

Fundum colendum Rusticus quondam ab
Iove.

Conduxit aquâ parte cum illa fructuum,
Hâc lege, ut omnem ad ipsius nutum Deus,
Ad Rustici, inquam, jussa summus Iupiter
Plueret, serena faceret, auras mitteret.
Ita deinde fundus sedulo est coëptus coli:
Sata provenire, & aucta culmus surgere:
Præstante pactas temporum vices Deo:
Et ad imperata, nunc citò Favoniis,

M 3

Nunc

Nunc uvidum exhibente, nunc sudum aëra.

Fit ecce messis : qua spem hiantis Rustici
Vanis aristis sterilis elusit seges.

Subrisit, & iacturam eam aut agrè tulit
Qui templa celi torquet, & terra sola.

Sed specimen ut prudentia sua daret,

Vides, bone, ait Agricola, quid profecerint

Abs te institutus annus, & cultum solum :

Parente semper me tibi, & semper qua

Obnoxii ad vota tempestatibus.

Nunc si placet, videamus annum hunc proxi-
mum :

Tu arato, tu sarrito, tu occato ut soles :

Me sine superne regere, & arbitrio meo

Ventos ciere, nubilum & sudum dare :

Mea faxo videas ratio quàm præstet tua.

Hac Iupiter : cui cum annuisset Rusticus,

Anno insequenti versus ordo temporum

Lato replevit vacua proventu horrea.

Ex illo omisit homo Deo præscribere :

Boniquè cuncta, qua ille præstat, consulit.

Leo,



Leo, Lupus, & Vulpes.

Ægrum Leonein quadrupedes invifere,
 Ceffante folâ Vulpe, jam omnes iverant.
 Ibi Regis aures credulas naftus Lupus
 Calumniari & carpere abfentem inftitit:
 Quid eam impedire, quid morari, quò minus
 Veniret agrum Regem & ipfa vifere,
 Nifi contumacem fpiritum, & fuperbiam,
 Qua gloriam de Rege contempto petat?
 Interea ad ipfa jam perorantis Lupi
 Extrema fermè verba Vulpes adfuit,

*Ita ut probè omnem vafra rem conjecerit:
Infremuit ira incensus in Vulpem Leo:
Qua se tamen gravi ex pavore colligens,
Defenfionis impetrato tempore,
Causam suam est exorsa in hanc sententiam:
Generose Rex, quis, inquit, est ex omnibus,
Quicumque in hunc coiere regalem specum,
Qui pro salute tam laborarit tua,
Quantum ego, per omnes misera quæ terras ii,
Omnes medentes, fana consului omnia,
Vti remedium quærerem Regi meo:
Tandemque reperi. Iussa præferre illicò,
Ut; inquit involvare detracta recens
Et adhuc calente pelle viventis Lupe.
Sanè facile medicamen est, inquit Leo:
Lupus ecce adest: viventem eum deglubite.
Quo factò, amaris illa cùm facetiis
Conversa semivivum ad adversarium,
Cur nudum, ait, te in publico video Lupe?
An fortè fieri vis palæstrita è Coquo?
Sic eat, herili quisquis olim gratia
Abuti ad innocentium pestem volet.*



Vulpes & Simius.

A Nimalium petitis imperio Leo,
 Ea exulare è finibus regni sui,
 Honore cauda qua carerent, jufferat.
 Pavescit Vulpes, ire in exilium parans,
 Iam colligebat vasa. Cui cum Simius,
 Ad Regis imperata jam vertens solum,
 Non pertinere edictum ad illam diceret,
 Qua tantum haberet cauda, ut & super-
 foret.

Verum, inquit illa, dicis; & rectè admones;
 M S sed

*Sed qui scio, inter illa quæ cauda carent,
An me Leo numerare vel primam velit?*

**Cui vita sub tyranno agenda contigit,
Insons licet sit, plectitur sæpè ut nocens.**



**Tirannis proclivis est quidvis efficere, quod
rabido efferatoque animo concipiunt. *Philo Ju-*
*dæus.***

**Cum tibi minatur Tyrannus, tunc cujus sis,
memor maximè esto. *Sixtus Philof.***



Afinus Simulacrum gestans.

Simulacrum Afellus bajulans argenteum,
 Cùm id transcentes flexo adorarent genu,
 Sui hoc honoris gratia est fieri ratus.
 Iamque insolenti elatus arrogantia,
 Nolebat Afinus esse, donec aspero
 Probè dolatus fustè clunes, audiit,
 O stulte, non es tu Deus, sed fers Deum.

Se norit hominem, qui Magistratum
 gerit.

Nos



Nec te collaudes , nec te culpaveris ipse :

Hoc faciunt stulti , quas gloria vexat inaniâ.
Cato Poëta.

Arrogantia oculum mentis obnubilat , vel
excecat , ut nec seipsum agnoscere valeat. Ri-
chardus à S. Victore

Nihil hominem adeò stultum facit , quemad-
modum arrogantia. S. Joan. Chrisost.

Difficiliùs caremus arrogantia quam auro &
gemmis. S. Hieron.

De homine quem falsæ blanditiæ faciunt ar-
rogantem , rectè vulgò dicitur : Crevit caput.
S. August.

Arrogans attribuit sibi illum scientiam & ho-
norem quam non habet. S. Antonin.



Cassita.

A Les est Cassita , summa pileata ver-
 ticem ,
 In segetibus nidulari sueta , & ova excludere
 Fermè in anni tempus illud , filios ut pu-
 beres ,
 Appetente messe , primis instruat volatibus ,
 Fortè tempestiviora legit hac quondam sata :
 Itaque flavescente segete pulli adhuc implu-
 mibus
 Egradi materna tecta non valebant artibus.
Igitur

*Igitur ad cibum parandum fata proficiſcens
foras*

*Mamuit hos, ſi quid viderent, ſi quid audirent
novi;*

Sedulò ut renunciare cuncta meminiffent ſibi.

*Ecce Dominus ſegetis illuc venit; & gnatum
vocans;*

*Cernis hac maturuiſſe, & poſtulare jam ma-
nus;*

*Proinde cras ubi diurnum fulſurit crepuſculum,
Ito. ait, rogato amicos mutuam, in meſſem
hanc, opem,*

Anxii pulli reverſæ matri idipſum nunciant:

Illæ eos eſſe otioſos, atque ſecuros jubet:

*Non enim meſſem futuram, dum ille amicum
fideret.*

Postero die proſecta rursus ad paſtum alite,

Dominus opperitur illos, quos vocari ruſſerat:

*Sol inardeſcit: nihil fit: præſtò amicus nul-
lus eſt.*

*Tum ille gnato, iſti amici noſtri, ait, ſunt
deſides:*

*Quin ad affines rogandos, & propinquos per-
gimus,*

*Tempori cras ad metiendum præſtò uti nobis
ſient?*

Rursus hoc pulli parenti territi renunciant.

Mater

Mater illos tum quoque esse sine metu & cura
imperat,

Vos modo, inquit, adnotate diligenter omnia,
Quaque dicentur per illum, quaque fient de-
mud.

Alia lux exoritur : ales pabulatum provolat.
Ille vir bonus propinquos frustra, & affines
manet.

Quos jubens tandem valere, filio edixit suo,
Ut duas deferret illuc luce falces postera:

Tu tibi unam sumito, inquit, alteram ipse
sumpsero:

Rem geremus Marte nostro, & copiis dome-
sticis.

Hoc ubi rescivit ates, ilicet pallis ait:

Nunc profecto providendum est, vos ut aliò trans-
feram:

Nam seges cras demetetur ista certò certius:

Quando is ipse, cuius res est, illam agendam
suscipit.

Hoc erit tibi argumentum semper in
promptu situm,

Nequid expectes amicos, quod tutè agere
posses.



Gallina & Hirundo.

Gallina cūm Serpentis ova nacta esset,
 Ea diligenter fovit, atque ab iis fortus
 Exclusit. Id prætervolans eà fortè
 Hirundo conspicata, Cur, ait, demens
 Hos alere tendis, qui ubi adoleverint, abs te,
 Tuoque capite injuriam auspicabuntur?

Hominem improbum promōris, ipse te
 evertet.

Pa-



Pater , Filius & Asinus.

Pater senex , & gnatus adolescentulus
Venalem Asellum ad proxima urbis mun-
dinas

Nulla gravatum pra se agebant Sarcina.

Hos intuens qui fortè proximè viam
Arabas , irridere cœpit Rusticus :

Quod , ut tenellos Padagogi haros solent ,

Ita ipsi Asellum feriaturum ducerent ,

Alter senex planè , alter adolescentulus ,

Eate uterque cui vehiculo opus foret.

N

Nec

*Hac perpulère obnoxium dictis Patrem
Ut juberet Filium conscendere :
Ecce alius illis obuius reprehendere
Senem institit , quod obsequens nimis Pater
Iuvenem atque validum Filium sineret vehi ,
Iter ipse pedibus faceret infirmus senex.
Hac vera visa. Hic Filio jusso Pater
Descendere, ipse insedit usque ad transitum
Vici ad viam jacentis. Ejus incola
Notare pro se quisque cœperunt senem ,
Quod adhuc virenti atate vir , alacer , vicens
Veheretur ipse ; at filium tenellulum ,
Per tantum itineris , cogeret pedibus sequi.
Hanc ille tantam sustinere non valens
Invidiam, Aselli clunibus gnatum jubet
Post se insilire , atque onere duplicato vehi.
Ibi tum viator, fortè misericordia
Commotus Asini , valdè , ait, vile hoc tibi est
Animal Pater , qui id tam sinistrè perdere
Vasta duorum mole tendis corporum.
His ille tot pugnantibus sententiis
Distractus animum , incertus hæsit consilii :
Cum , non inani ; non onusto tot modis
Asino per omnes reprehendentium vices ;
Sine lite posset aut querela progredi.
Tandem experiri & hanc quoque placuit viam :
Inter supini ut colligatos indito*

*Pedes Afelli palo, cum ipsi pendulum
 Ferrent; ita humeris prae grave attollunt onus.
 Tum verò ad illud tam insolens spectaculum
 Affusa multitudo comitantium
 Rifu emoriri, insanum utrumque dicere,
 Vexare salibus, sed magis multò senem.
 Tum denique ille ira impotenti percitus,
 Pracipitem Afellum in maximam malam cru-
 cem
 Ab aggere alto in proximum flumen dedit.*

*Plerumque qui placere se cunctis stu-
 det;
 Et se ipse lædit, nec fatis cuiquam pla-
 cet.*





Mercurius.

Mercurium ab alto olim misit Iupiter ,
 Artificibus medicamen ut mendacii
 Misceret : ille diligenter id terens
 Ad constitutum mente mensuræ modum ,
 Circumtulit , partemque cuique miscuit.
 Solus supererat Sutor : & medicaminis
 Multum etiam erat , quod universum illi Deus
 Ipso ebibendum præbuit mortario.
 Hinc factum , ut omnis mentiatur Artifex ,
 Sed Sutor illo in genere præstet omnibus.

Agnus



Agnus, & Lupus.

STans in supremo culmine Agnus editum
 In transeuntem probra jactabat Lupum,
 Quacumque in improbam & voracem bestiam,
 Savam atque sanguinariam dici queunt.
 Olli quietâ mente subridens Lupus,
 Non tu mihi maledicis, inquit, ô bone,
 Sed iste, quo confidis, excelsus locus.

Adversùs homines præpotentes, & graves,
 Tenuibus animos tempus addit, & locus.



Maximæ laudis est, acceptas injurias læto
animo ferre.

*Qui læsus ruit in furias, atque æstuat ira,
Vindictæque gravis quem ferus urget amor:
Parvulus est, parvos animos namque ultio prædit,
Ira qua comitem se dare lata solet.
At qui vindictæ studium premit omne, sitimque,
Magnus hic, & magnum dignus habere decem.
Qui verò læsus gaudet, lucricque dolores
Deputat, huic tribui laus satis ampla nequit.*

Nulla modo faciendæ est injuria, neque cui-
quam inferenda. *Plato.*

Fortes & magnanimi sunt habendi, non qui
faciunt, sed qui propulsant injuriam. *Cicero.*



Spes.

Bona universa Iupiter coegerat.
 In dolium ; idque sanè opertum sedulo
 Mortali amico deinde commendaverat.
 Is gestiens, quid intus esset, visere.
 Cùm operculum amovisset, in calum ilicò
 Cuncta evolarunt ; spes modò hasit in la-
 bro :

Hinc in bonorum sola defectu omnium
 Mortalibus spes alma numquam deficit.



Spes sola hominem in miseriis consolari potest. *Cicero.*

Homini quid magis potest esse proprium, quàm spes? qui enim desperat non est homo. *Philo Judæus.*

Futurorum spes laborantibus, requiem pavit, sicut & in agone positus dolorem vulnerum mitigat spes coronæ. *Origenes.*

Spes per desideria atque suspiria introducit ad quietis gaudia. *S. Greg.*

In malis sperare bona, nemo nisi innocens solet. *V. Beda.*

Tristantur facilè, quorum spes extat in imis. *Idem.*

Pericula maris spes lucri delectat. *S. Hier.*

Decidit, qui spe bonâ frustratur. *Glossa.*

I N D E X

F A B U L A R U M.

A.



Gnus, & Lupus. Pag. 197
 Anguilla & Serpens. 55
 Aper & Vulpes. 155
 Arbores & Rhamnus.
 177.

Armentarius.	149
Afini duo.	11
Afini & Jupiter.	101
Afinus & Lupus.	7
Afinus, Simius, & Talpa.	63
Afinus & Aper.	107
Afinus Dominos mutans.	137
Afinus & Equus.	165
Afinus & Vulpes.	171
Afinus, Corvus, & Lupus.	173
Afinus Simulacrum gestans.	187
Astrologus.	145
Avarus.	95
Auceps & Cassita.	81
Bu-	

I N D E X

B.

B	Ubulcus & Hercules.	175
----------	---------------------	-----

C.

C	Anes duo & Coquus.	157
	Canes duo.	133
	Canis & Lupus.	57
	Canis , Gallus, & Vulpes.	59
	Canis & Caro.	105
	Canna & Oliva.	99
	Cassita.	189
	Cervus & Vitis.	139
	Cervus & Hinnulus.	45
	Cochleæ.	67
	Cornix & Hirundo.	69
	Cornix & Canis.	23
	Corvus & Mater.	25
	Corvus & Serpens.	47
	Corvus & Vulpes.	39
	Cygnus & Anser.	49

D.

D	Eceptor & Apollo.	83
	Dies Festus & Profestus.	41
	Equus	

F A B U L A R U M.

E.

E Quus & Afinus.	31
-------------------------	----

F.

F Elis & Gallus.	85
Formica & Cicada.	13
Formica.	163
Fullo & Carbonarius.	125

G.

G Allina & Hirundo.	192
----------------------------	-----

H.

H Erus & Canis.	103
Herus & Canes.	169

I.

I Aetator.	127
Jupiter & Minerva.	1
Jupiter & Cochlea.	113
Juvenes duo & Coquus.	65
La-	

I N D E X

L.

L Atro & Mater.	141
L Leo, Asinus, & Vulpes.	5
Leo mente captus, & Caprea.	9
Leo & Vulpes.	35
Leo & Vulpes.	147
Leo, Lupus, & Vulpes.	183
Lignator & Mercurius.	123
Lupus & Grus.	111
Lupus & Mulier.	151

M.

M Ercurius, & Quadrigæ.	71
M Mercurius.	196
Mergus, Rubus, & Vespertilio.	21
Momus.	179
Monedula.	167
Mulier & Medicus.	135
Mulus.	61
Mures.	93
Mures & Feles.	117
Musca.	27
Musca, & Quadrigæ.	89

Ollæ

FABULARUM.

O.

Ollæ duæ, ænea & fictilis. 3

P.

Pater & Filii. 73
 Pater, Filius, & Asinus. 193
 Pavo & Monedula. 43
 Pica & Aves. 91
 Puer & Scorpius. 51
 Pullus Asini & Lupus. 109

R.

Ranæ duæ sitientes. 77
 Ranæ duæ vicinæ. 79
 Rusticus & Eques. 29
 Rusticus & Iupiter. 181

S.

Satyrus & Homo. 115
 Senex & Mors. 19
 Simius & Delphus. 75
 Simius & Vulpes. 159
 Spes.

INDEX FABULARUM.

Specs.	199
Sus & Canis.	17

T.

T Urdi.	15
---------	----

V.

V Ates.	143
Vespertilio & Mustella.	153
Vulpes & Erinaceus.	33
Vulpes & Uva.	37
Vulpes vota mutans.	87
Vulpes & Lupus.	97
Vulpes & Aquila.	119
Vulpes.	121
Vulpes & Rubus.	129
Vulpes & Larva.	131
Vulpes, Asinus, & Leo.	161
Vulpes, & Simius.	185
Uxor submersa, & Vir.	53

F I N I S.

